
NICOLAI BARPTOLOMAEI LOCHIENSIS EPIGRAMMATA.



TECVM HABITA.

Parisijs apud Lodouicũ Cyaneũ ſub duobus gallis in via Iacobæa.

1532

Nicolaus Barptolomæus Lochienſis Ioanni Roberteto a mandatis Chriſtianiſſimi Regis, viro vndecunq; ornatiſſimo S.

Giſti nuper, imò me coegiſti precibus, quæ intercutem neſcio quam latentis imperij vim in me habent, vt excuterẽ penum noſtrã chartaceam, ac colligerẽ epigrãmata, quæ aliquãdo, dũ pene puer puero tibi recitarẽ, mire placuiſſe aiebas. Spopõdi extemplo, me nihil nõ tua gratia factur ũ. pſolui tamẽ ſeri⁹ q̃ vel opinabaris, vel me tibi maxime obæratũ decuerat. Multũ certe a præiudicata de me tua opinione detractũ iri, vel ex re mihi conſcius rebar, ſi vir & morib⁹ & ſtudijs meliorib⁹ adultus, qui aliquãdo iuuenis aliquid meas nugas eſſe putaras, nũc eas olfaceres introrſ⁹, minus guſtui ſatisfacturas priſtino. Videm⁹ ſane poma pueris maxime cupita, viris iã factis in nulla eſſe æſtimatione. Vnũ præterea ſummopere me exterruit, qui ſcirẽ eũ in tanta ſcriptorũ turba hactenus deſiderari, qui illã, quã exigebat Rhallus, epigrãmaton concinnitatẽ, vrbanitatẽ atq; gratiã ple-

nissime fuerit adhuc cõsecutus. Sed tandem meus in te vicit amor duram pertinaciã, & verecundiã tua abstulit authoritas. En prodeũt tuo auspicio Epigrãmata illa, nuperis aliquot aucta: in quibus nihil immutatũ volui, voluptati futurum existimãs, ea demum videre te, quorũ aut reliquit memoria, aut pungit adhuc desideriũ. Vespasianũ author est Tranquillus in Cõsanis prædijs educatũ, illa principẽ factum frequẽtasse, manẽte villa, qualis fuerat, dũ paruus erat, nequid oculorũ cõsuetudini deperiret. Sic igitur ad te eunt Epigrãmata nostra, nullo certe aut rerum aut personarũ delectu, nihiloq; q̃ prius excultiora, ne & in his emẽdãdis morosior, plus liturarũ q̃ literarũ relinquerem, & quæ tibi forsitan faciebant ad stomachũ, inde expungerem, plus æquo diligens. Vale.

AD CHRISTIANISSIMVM Galliarum regem Franciscum,

De Aureliæ domus historia.

Blaturus erã tibi, rex generose, libellũ
Quo generis posses orsa videre tui.
Iudiciumq; tuũ, maiestatemq; verẽti,
Se noctu ante oculos obtulit effigies.
Nec visum hoc noctis placuit. latitare parabam,
Arrepta cum me sistere veste iubet.
Quid modo me auersaris, ait, quam perpete voto
Abiecteq; nimis sollicitare soles?
Nil mihi tecum, inquam: cum se velamine iacto
Subridens aperit protinus historia.
Quid, rogo, velaras faciẽ? memor accipe, causa est,
Obducto vultu quòd per iniqua ferar.
Quid sibi vult mundiq; tui ornatusq; venustas?
Vt sum falsa odio, sic minus apta ioco.
Quid tibi nunc cũ armis? ego prælia fortiter acta,
Quo sunt gesta modo, commemorata velim.
Clepsydram tibi quid gestas? quia singula rerum
Momenta historicos exposuisse decet.
Ipso plus aurita Myda, ac oculatior Argo es.
Dicta audire, sed & facta videre iuuat.
Vnde hæc canities? vt cui texenda videbor,
Is sibi propositas nouerit esse moras.
Plura rogaturum, nil vltra fata, relinquit,
Et cæcę tenebris noctis operta fugit.

Iamne vides, o rex, quibus hęc me legibus arctat,
Inclyta qui generis molior orsa tui.

Ad Claudiam Galliarum reginam,
de Aureliæ domus historia.

Quā tibi gratus erit, pretiū quod deniq; curæ
Hic faciet, mundi Claudia deliciæ,
Qui speculum obtulerit, quo te, manesque tuorum
Subiectos oculis intueare tuis?
Quorum ergo Æneas, neq; nō hoc nomine plures
Infernos ausi sunt penetrare lacus,
Ecce tibi, nempe historiam: nil inde reposcens,
Qui credam hoc nimium, hanc si placuisse sciam.
Si placuisse sciam, nimium credam esse labori
Satfactum, tua cui gratia pro pretio est.

De Maria & Ioseph, quem more
pictorum senem fingit.

Ducebat Mariam pedes puellam
Iumento impositam senex Ioseph.
Riserunt obiter modum viantes,
Quòd post se traheret senem puella,
Fessum annisq; viaq;. cessit illa,
Conscenditq; senex, ea adsequente.
Riserunt alij modum viantes,
Quòd post se traheret senex puellam.

Epitaphium Ludouici Longeuilę ducis.

Heus heus viator, hic gradum sistas velim,
Tam flenda summi fata lucturus ducis,
Quem Galliæ toti fuisse ops cernitur.

Caue hunc abesse sentias, qui tam adfuit
Dum vixit, adfuturus in dies magis,
Cœptis nisi obstitisset mors audacibus,
Mors saeua, cunctis luctuosa gentibus,
Si totius spectemus orbis commodum:
Verum expetenda tam benigno principi,
Si tam beata metiamur gaudia,
Quibus fruatur, liberatus carcere hoc,
Nũc qui & epulis & cœtui accũbit deũ.
Illi parentes conqueruntur tam breue
Vitae fuisse tempus: at vixit satis,
Quem non peracti cura pungit temporis,
Nec subita, quae futura creditur, dies.

Ad Pyrrhum.

En numeros nummosq; tibi modo Pyrrhe parabã,
Munera non certus quae mage grata forent.
Te numeris nummisq; capi mihi suaserat vsus,
His ad vitae, illis mentis ad obsequium.
Pyrrhe hodie scitũ est numeris ãnectere nũmos.
Nanq; ferunt vates esurijsse bonos.

Ad Ioannem Capellanũ medicũ.

Spes est multa tuam eruditionem
Artisq; experientiam intuenti
Pristinum subito prioris vsum,
Vitae restitui mihi: sed omnis
Tum me deficit, vt pari dolentem
Te morbo video diu implicari.
Quod cuiquam dederis, tibi negaris?

Epitaphium Philotis.

Hic iacet ereptus matura morte Philotes.
Plus reliqui huic mors, quàm vita datura fuit.
Non habuit viuus calcem quo sistere posset.
Nunc spatium extincti grande cadauer habet.
Nec natos fraudasse bonis credatur auitis.
Quod pater huic, natis ipse reliquit idem.

Ad spectatorem fixi cruci Iesu.

Fle, si innocentem respicis,
Qui pro nocentibus luit.
Ride, si aperte percipis
Cui restitutus gratiæ es.

Ad Pyrrhum senatorem Mediol.

Siccine mutat honos mentē, vt mihi scribere nolis?
Quo sine iurabas esse nequire prius.
Sic ne grauem, an potius mutum te curia fecit?
Non meus hoc in te Pyrrhe merebat amor.
Vix spirandi, nedum scribendi ocia dices
Esse vni, cui tot sint obeunda, tibi.
Sunt, scio, quæ nequeas differre, negotia, sed sunt
Queis noster certe est anteferendus amor.

De Ludouico.xij. & legato Veneto.

Rex bellum Lodoicus apparabat,
Captasq; a Venetis petebat vrbes:
Legatum Veneti repente mittunt:
Qui quum plurima fando nixus esset,
Et parum, aut nihil illa profuissent,
Addit, res tibi, rex, graui est futura

Cum gente, & sapientium senatu.
Ad quæ rex breuiter, tot hercule illu
Transmittam stolidos, vt inde discan
Prudentes, sapientiæ inter ipsos
Armorum strepitus locum negari.

De Chremete ebrio.

Bacche, Chremes gradibus dum decidit ebrius, ipsi
Crederis epoto supposuisse manum.
Sobrius haud impune lacu cecidisset ab alto,
Quid? nisi quos turbas, hos quoq; Bacche regis.

Ad Matthæum Galterũ digniss. Maioris monasterij abbatem.

Si virtus adeo enitescit vna,
Vt cui illa insit, vbiq; is æstimetur:
Non vllo propè non honore dignus,
Qua nunc te ratione prædicarim?
Cui facto agmine commigrauit omnis
Virtutum chorus, vt nec vna desit.
De quibus sileo, inscius profecto
Iuste quas quibus anteferre possim.
Nec iam iustitiæ ipsa fortitudo,
Nec prudentia liberalitati,
Sed nec relligio eruditioni
Est cessura loco: vnaqueq; prima
Dici, nulla secunda vult haberi.
Non tot Virgilianus in figuras
Proteus, quot varios diserte ad vsus
Verteris: modo tristis & seuerus

Terres a vitijs, premisq; sontes,
Castigasq; moras, modo & iocosus
Demulces animum, excitasq; mentem,
Affectusq; pios pie titillas.
Sed, quis rebitur? occupatus istis
Vt nil prætereas quod est necessum,
Nentiquam tamen ipse agenda omittis.
Sic tu perpetuo negotiaris,
Vt nunquam tibi detur otiari:
Et dulci vtile nectis: ac, vt ille,
Et dextra iacularis, & sinistra.

Ad diui Iuliani Turonẽsis abbatẽ
Ioannem Binetum.

O voto fieret meo, Binete
Humanissime præsulum, simulq;
Integerrime, vt inde sacra cunctis
Esset relligio, & seueriore
Dignum supplicio, imò morte (si me
Iam non dedeceat sacris dicatum,
Cuiquam tale piaculum imprecari)
Efferre immeritos honore: contrà
Non applaudere, non fauere dignis
Laude, esset capitale. quis tuis non
Margo nominibus foret repletus?
Quæ te pagina, quis locus sileret?
Sed satis modo res aguntur istis.
Eò prostituuntur vsq; laudes,
Laudari vt videatur haud decorum:

Laudare atq; adulari, idem putetur.
Pro libidine iam mali canantur,
Dum imponi sibi sentiant, sciantq;
Laudari hac ratione, qua tyrannus
Ille olim a Xenophonte prædicatus.

Ad Briellum.

Per mare velivolum, & terras, noctuq; diuq;
Fortunam insano persequimur studio,
Instabilem, cæcam, & prorsus ratione carentem,
Quæq; diu nulla sede manere potest.
Hæc sese sperni negat, & negat ipsa rogari.
Quam qui præuertit, sat reor esse citum.
Huic pudor est nullus, nulla est reuerentia iusti,
Omnia pro voto flectit agitq; suo.
Nunc fauet his facilis, nunc aduersatur eisdem,
Nec certum teneas hac moderante locum.
Illa quidem nulla melius ratione domatur,
Quàm quo fecisti docte Brielle modo:
Quem non læta effert, quem non aduersa molestat:
Sed tibi quam iratam sæpe Brielle velis.
Regia te quoties obeuntem, inimica retraxit,
Et pretio & precibus miscuit illa minas.
Virtuti obsequium debet fortuna, nec vlla
Firmius arctari compede vincta potest.

Ad Pyrrhum de Codicis commentarijs.

Mos est, candide Pyrrhe, iam receptus,
Queis & pressius, & minus solute,
Queis & laxius, & magis licenter,

Prima & maxima cura differendi est.
Si quem laudibus anteferre ciuis
Dicendi ratione moliuntur,
Vtuntur quoq; comparatione,
Cedat, conticeat, facessat, aiunt,
Plato, vel Cicero, id genusq; plures.
Ciuilis nimium eruditionis
Expertes, modo qui reo haud vocato
Frustra iudicium ferant iniqui.
Morem hunc tantũ aberit, diserte Pyrrhe,
Percensendo opere in tuo vt sequamur,
Q̃tum, quotquot adhuc fruuntur aura,
Omneis iuris ego huc vocem peritos.
Iuris lux iterum penetret Alpes,
Lux inquam Decius, ducem mihi quem
Ad ius gaudeo præfuisse sanus.
Pice audi, audiat hoc sciens Iason,
Sed noster. quid ego hunc magis vocarim
Nostrum? cum potius sit orbis vnus,
Isq; excelsus apex scientiarum,
Vallus fossaq; iuris, ac potente
Deli preside Deloinus omni
Maior parte, oculis, quibus per omneis
Res tam lynceus est, tuam reuoluat
Foeturam, nihil hac magis relutum,
Nil limatius, aut magis politum
Se vidisse fatebitur venuste.
Sed si, Pyrrhe, meum minus recusas,

Quodquod indicium est, mihi nec ipse
Præscripsisse aliter potest videri
Vester Iustinianus imperator,
Quàm tu restituendo quæque, censes.

Ad Correum.

Quondam Corree sciscitatus a me es,
Cuius lectio me magis iuuaret.
Lectus me toties Maro, ac relectus,
Nullo Corree tædio fatigat.
Sed nec Psalmographus famem legendi
A me ex relligione sæpe versus,
Exemit. Pathelinum & hoc in albo
Adscriptum tibi iure collocarim,
Quem tantis salibus facetijsque
Græcis obijcias probe & latinis.
Francum intelligo. porrò versipellem,
Qui nunc auribus est datus latinis,
Censuris alij suis probarint.
Cui non ex tribus vnus adlubebit,
Is nil è studijs petat, quod optet.

Ad Stephanum Poncherium Archiepiscopum Senonensem.

Gallia quę tot habet, tot passim continet vrbes,
Diuite quæ profert plura metalla solo,
Frugum altrix, viniquе ferax, fœcunda virorum
Quos studijs plures gignit alitque suis,
Si tibi cuncta fide presul persoluerit æqua,
Quælibet in fœnus sunt abitura tuum.

Quis tibi persoluat digne, cum missus ad Anglos,
Arbitrio pacem dasq; refersq; tuo?
Quis tibi persoluat quæcunq; forisq; domiq;
Consilio vires exuperante geris?

De Balūa Cardinale Andium episcopo.

Dum rex Gallicus hostium tumultum
Sedari cupit, & manum in rebelles
Armat, detulit omne copiarum
Baluæ imperium illud ambienti.
Tum corãm Chabanæus imperator
Iturum illico se fatetur Andes,
Vt clerum instruat, & ministret aris,
Et sacris operetur otiosus,
Dum sic bella geret negotiosus
Vltra fasq; decusq; Cardinalis.

In Ponticum.

Nulla te probitate Christianum
Quis tã à sensu alienus æstimabit?
Sed Turcã quis itẽ mero frequẽter
Qui te Pontice viderit madẽtem?
Neutrum horũ hac ratione te putarem,
Quòd nullam teneas fidem infidelis.

De medico.

Quærebam ex medico quid esset, aut qua
Id causa fieret, quòd ebriosi
Plures quàm medici senes videntur?
Non est mirum, ait, insolensq;, quando
Non tot sint medici, quot ebriosi.

Nec tam atrox fuit vlla pestis vnquam,
Quæ non pluribus abstineret iram.
Et nos e numero sumus bibentum.

Ad Gulielmum Paruum Episcopum
Trecensem dignissimum.

Paruus agit magna, & paruum nil cogitat ipse
Paruus, & in Paruo maxima vis animi est.
Paruus magna meret, cõtingunt maxima Paruo,
Nec virtus Paruum magna latere sinit.

Ad Philippum Decium.

Iam Philippe tibi, quod & Lycurgo
Phœbus, præcinuisse collubescit.
O dilecte Ioui, & deis Lycurge.
Quis Philippe tibi, quod & Lycurgo
Phœbus, præcinuisse me vetabit?
O dilecte Ioui, & deis Philippe.
Ecquis inuideat tibi id decoris?
Si tam is indice sit Deo probatus
O bleges, & eas quidem prophanas,
Quæ laus non tibi magna debeatur?
Qui sacros canonas scienter hercle
Viuaci ingenio, inquiete cura,
Enodas, legis, eruisq; sensa,
Quæ nescisse prior putetur ætas.

De cæsare Roberteto dato
Dialogus Nicolai & Cesaris.

I liber. L. Oblitus ne olim quod pactus amico es?
N. quid? cui? L. cũ ex Pyrrho me tibi mun9 habes.

P erpetuò fore iurasti me perfide tecum,
Nunc Roberteti cogis adire manus:
In somnis qui me noctesq; diesque reuoluet.
Nec mihi, quæ tecum, sæpe futura quies.
N. Parce rogo dominum sceleris damnare libelle,
Haud Pyrrhus læsam credet amicitiam.
N ec dominum mutas, vbi Robertetus habebit,
Qui semper fuit, est, atq; erit alter ego.
H ęc tibi de domino mutatio pene futura est,
Qualis quæ Glauco cum Diomede fuit.
N am vilem & nihili linquis, subiturus honestum
Hunc iuuenem, quo nil Gallia maius habet.

Ad Germanum Brixium.

G ermane Brixi Apollinis,
G ermane Brixi Pallados,
S aluere te iubet tuus
Nolis velis amiculus,
Quem sic tuum fecit tua
E t eruditio, & boni
C andoris ampla opinio,
T e viderim quondam licet,
O lim hàc dum iter prætenderes,
N ecnon loquentem audiuerim
M archiboi in consortio, &
N ostri Roberti Correi
D uum virorum illustrium,
N on noueram tamen, nisi
Eatenus, qua noscitur

Quisquis viator. nam minus
Me fama tanti nominis
Tam nescientem publicas
Voces, adhuc peruaserat:
Quod si deus mihi, & dies
Hoc gaudium, imò gratiam,
Tunc præstitisset, qua datum
Te nosse mi foret, lapis
Hunc annotasset candidus,
Sacer fuisset ter dies.
Quo non honore Brixium
Dignatus essem, Brixium
Nostrę decorem Galliæ?
Non vlla me modestia
Rectura erat, quin illico
Ruissem in amplexus tuos,
Et obtulissem suauium
Ori venusto, & candidis
Istis labellis, in quibus
Pytho perennis insidet.

Germanus Brixius Nicolao Bartpholemæo Lochiensi.

Cur te non ego diligamq́, amemq́
Toto pectore, & intimis medullis,
Qui me non modo diligisq́, amasq́
Toto pectore, & intimis medullis,
Ignotum, immeritumq́, at ore pleno
Laudatum euehis vsq́ ad astra, & inter

Nostros das aliquem locum poëtas,
Si quem Gallia habet tamen poëtę
Dignum nomine:nanq; vt ipse laudes
Non agnosco tuo ore defluentes,
Sic impense animum tuum,atq; amorem
Vlnis excipio obuijs,vicissimq;
Huius pectoris vsq;,& vsq; gratis
Vsuram offerimus tibi perennem,
Quem doctæ vberibus sacris sorores
Lactatum instituere,& irrigatum
Æterno Aonij liquore fontis
Artes edocuere liberales,
Per quas ipse tibiq;,Gallięq;
O sim conciliabis,auguramur
Dum cœptæ haud pigeat viæ,velisq;
Calcem a carcere peruenire ad ipsum,
Famam nominis vsq; sempiternam.

Ad Renatum Syluanum Ambaceum.

Dum te pingere conor & voluto,
Cor & delicium meum Renate
Nulli,crede,tuis decentiores
Sunt visi,quibus exprimare,nullo
Tui dissimilis modo,colores.
Quodnam pulchrius,aptiusq; nomen
Indici poterat tibi Renate?
Quem,castę simul ac parentis aluo es
Egestus,gremio recoxit alma
Pallas,lacteq; pauit erudito,

Formauitq; suas tenellum ad arteis.
Syluanum quoq;,quem educasset altis
Syluis cum grege virginum suarum,
Dixit,quo nihil est magis modestum,
Nil syluestre minus, minus ferinum.
Lubens te modo dicerem bimatrē,
Ni disconueniat tuis iniquum
Nomen moribus,abstinēte qui sis
Omni in regenio,atq; temperato.
Qui non esse alius potes Renate,
Quem sic erudeire tot pericla,
Dum vidisti homines tot,& tot vrbes:
Hispanum quoq; peruagatus æquor
Præterlapsus es Herculis columnas.

Ad Ponticum.

Cur te philosophū dicemus Pontice,quando
Nec mens nec mentum philosophi tibi sit?
Philosophū hoc mihi crede refers,ꝗ paup,& idē es
Sordidus,hæc duo habes Pontice philosophi.

Ad Ioannem Robertetum.

Fingebam mihi nuper absolutum,
Qualem Stoicus optat,atq; fingit,
Omni ex parte virum,& volebā in vno,
Quæ diuisa alios solent beare,
Collecta ōmnia,cui genus sit illud
In quo nomina splendeant auorum,
Et formæ species,decensq; corpus,
Docto flexanimis lepos in ore,

Et multæ additus eruditioni
Rerum vsus, modus ille is in gerendo,
Qui nulli grauis, omnibus placeret,
Qui sese facilem & modestum ephæbis
Et duris senibus grauem probaret.
Fingendi labor omnis est ademptus,
Quum in mentem mihi protinus diserte
Robertete venis, ea adsequutus,
Quibus non datur ampliora fingi.
Ne sim, si fuit, est, eritque quisquam,
In quem id verius adstruatur omne.

Bacchus in cantharo.

Cui iam placebunt gurgites,
Natura præstitit volam,
Non hunc requirat cantharum.

De pictore.

Rogatus olim pictor a me perspicax
Quid tam insolentes ipse natos gigneret,
Qui pingeret spectabiles imagines,
Quas procreandis multi haberent liberis?
Dispessa tam sunt, inquit, hæc duo inuicē,
Quàm nox aperto cæca differt a die.
Nos luce pingimus, tenebris gignimus.

De Ioanne Medico Pontifice Maximo.

Adsciuit Medicum ægrotans ecclesia, vere
Isto opus in tanta debilitate fuit.

In amanuensem suum.

Si tam parca meri quàm scripti dextra fuisset,

Non esset nisi tanta rubedo tui.

De ebrio meiente.

Dum noctu redit ebrius taberna,
Soluendus quoq; ventris esset humor,
Micturus parieti adhesitauit.
Tunc autem impluuio cadebat imber.
Is vino madefactus, & sepultus,
Unda meiere se labante retur.
Cuius cum mora tædium sodali
Afferret, rogat an ne meiet vsq;?
Meiam quandiu, ait, deo placebit.

Ad M. & eius vxorem.

Iratæ arrides, ridenti irata repugnas.
Sic nec vos risus, nec finit ira duos.

In deorum contemptores.

Mortales nimium sibi sagaces,
Dũ se & numina nesciũt proterui,
Fortunas tolerant iniquiores.
Docti ergo modo rebus in gerendis
Præsentem Iouis æstimate vultũ.

Spes

Multum hæsere sophi, bonum ne maius,
An me deterius malum vocarent.
Me, ne cum reliquis cita euolarem,
Pressa pyxide cõtinet Prometheus.

Fides.

Sum fides, vtor fide. dignum vtrunq;
Se, & chelis ductrice, cheliq; ductrix.

Pulsus ambarum facilis: vi vtranqꝫ
Deterit vsus.

Charitas.

Omnes quæ sua sunt, minora nulli,
Multi plura quidem petunt: at vna
Nec nouit sua charitas, nec ambit:
Terris exulat, euocata cælo.

De milite suspenso.

Qui tot per vndas, tot per arma euaserat,
Hunc ęqua quōdā sors pepercit in crucē.

Ad Rhetorem.

Si quę nostra tuas petulātia lęserit aures,
Qui tibi sat faciat, cādide rhetor habes.
Illū rhetor habes, qui te nec lędere possit,
Nec velit, at quod erit, qui tu⁹ esse petat.

Ad Pamphilum.

Facunde loqueris, iocaris apte:
Saltas composite: canis sonore:
Pulcher corpore, comptus es capillo.
In gestu nihil est tuo notatum.
Nosti rhetoricen probe, & poesin,
Mensuras, numeros, & astra cæli,
Et si quid reliqui scientiarum est.
Solum es nescius expedire nomen.

Ad Antonium.

Dum fastu nimis insolescis amens,
Nil debere fateris eruditis.
Hi multo minus eruditioni

Te debere quidem fatentur omnes,
Quæ te munere fœnerata nullo est.

De historia Aureliæ domus.

Si mellita Tito, fluensq; phrasis,
Si Crispo breuitas minus coacta,
Et vis, qua memorat geritq; bella
Martio scopus in canore Cæsar,
Ac rerum tacito eximatur ordo,
Non me rupero, si parem fatebor,
Ob certæ monimenta veritatis.
Sed si quis modo, quicquid ipse ab illis
Sublegi quasi apis, meumq; ad vsum
Excerpsi, repetat, notetq; furta,
Tum leberide inanior videbor,
Fœnebrisq; iocum mouebit ales.
Me cum nobilitate magnitudo
Horum, qui obijcient mihi tenebras,
Famæq; officient, satis leuabit,
Quos si haud attigeri, natasse ad vmbrā,
A magnis quoq; decidisse laus est,
Pulchrum vincier, abstinere turpe:
Istud crimine, laude abundat illud:
Et si summa minus, secunda certe,
Vel cis dedecus assequemur ima.
Tantorum in numero iuuat videri.

In epigrammatistam quendam.

Quis neget a titulis epigrammata inepta iuuari,
Obscurum sine queis nil epigramma sonat.

Et chartas onerant, & hiatum codicis implent:
Carmine sæpe suo longior est titulus.

De differentia morbi vulgaris.

Morbum Galle Italum vocitas, Gallũ Itale dicis.
Inter vos necdum conuenit in titulo.
Componi pax certa potest, si torqueat ambos:
Ut morbo fingat nomen vterq; suo.

Ad Ludouicũ Brunũ Blesiũ, & Iacobũ Maupinũ Parisiẽsem, cõtubernales suos.

Omnes inuidiam probro insequantur,
Queis est inuidiæ feracis vber
Ignotũ: ore probamus hãc aperto,
Sed qualem licet hactenus videre
In vobis, quibus alteri alter addit
Urgentẽ stimulum ad politioris
Ciuile hoc studium eruditionis.
Dormitis simul ambo, & ambo semper
Disceptatis, & ambo dissidetis,
Et discordia semper vrget ambos.
Sed quæ pro studio orta, sopiatur
Muti iudicio, vt decet, magistri.
Ad quiduis aliud fere gemelli,
Nec tam nixa bryonias cupresso,
Nec tam pampinus alligatur vlmis,
Quàm vos multa necessitudo iungit.
Vos certe simul esse non potestis,
Vos certe diu abesse non potestis:
Sic vobis vice cotis estis ambo,

Sic vestri integrat ira flammam amoris,
Et quadam ambitione vos amatis:
Nec tam iunctus erat Patroclo Achilles,
Nec Niso Euryalus, nec ipse fido
Theseus Pyrithoo: antecellit omnes
Vester tantus amor, fidesq; vestra,
Hoc excelsior, atq;, credo, maior,
Quod sit rarior inter eruditos.
Nam fabro faber, & poëta vati,
Et doctus solet inuidere docto.
Inter vos aliquando rixa, vt hostes,
Inter vos aliquando pax, vt vno
Fratres germine quisq; suspicetur.

Ad Moroinum.

Cum tot emis nunquamq; legis Moroine libellos,
Nec sinis horum alios commoditate frui,
Te similem esse reor strato ad presepe lyciscæ,
Qui nec edit cordum, nec sinit esse bouem.

Quomodo tollatur temporis tędium. Ad dominũ Ioannẽ Texierã Iuriscõsultũ.

Dum me vexat hyems, & dum pituita molesta
Interualla sui nulla doloris habet,
Et spondet medicus redituram vere salutem,
Cura mihi vnius maxima veris erat.
Tum solis luneq; moras mecum ipse querebar,
Quælibet hora, dies, is quoq; mensis erat.
Vnus & ex veris, qui tum me visit amicus,
Temporis arte docet fallere posse moras.

Si tibi, ait, reddendum illo æs in tempore sumas;
Nec tibi sol tardus, nec piger annus erit.

Ad Marcum.

Humanus, dum pauper eras: nunc diues, acerbus:
Ut tu fortunam vix tolerare queas.
Luxurias rebus, quibus haud expleris, auare
Aggeris ah quantas cras moriturus opes.
Plus, mihi crede, aufert Nemesis, quàm conferat vnquàm:
Nec comes est mentis sors bona sæpe bonæ.
Utere diuitijs si sunt: non, Marce, fruare.
Si desunt, nulla has ambitione petas.
Quid tuus abstulerit genitor, metire, recedens,
Plus te ablaturum quàm tulit ipse, putas?
Te nisi crux tollat, nisi piscibus esca, vel igni
Sis, nudus fossa Marce putrebis humo.

Ad Rodolphum.

Quòd genus antiquum tibi sit Rodolphe, superbis.
Quòdque tui Reges esse ferantur aui.
Fastidis omnes, & nil miraris in vllo
Qui non sit veteri nobilitate satus.
Euolue annales, luteus tibi primus, & vnus
Auctor cunctorum cóperietur Adam.
Cóperietur item extemplo Rodolphe, quòd omnis
Rex seruo, seruus rege creatus erit.
Nobilitatem homines stulti exciuere, malique:
Nunc illam sibi qui detinuere, vides.
Humanos dum terra parens produceret artus,
Nulla discreuit nobilitate lutum.

Hic sui sodalis amore correpti miseriam deplorat.

Quid iam cæce premis Cupido? quare
Mandatis nihil obsequi negantem
Letali nimium lacessis arcu?
Hoc aduerte Venus, tuiq; nati
Quæ sit carnificina, nunc voluta.
Est anus, nequeo tenere fletum,
Est inquam, o vtinam deesset, essetq;
Hæc, quam seruat iniqua, virgo sola,
Qua non pulchrior vlla, qua relinquat
Io Iuppiter, atq; Apollo Daphnē.
Hanc formam comitantur, imò vero
Præcedunt, grauitas modesta, linguæ
Ingens gratia, castitasq; tanta,
Vt scortum hanc sibi nemo speret vnq̃,
Vxorem hanc sibi nemo non cupiscat.
Hanc meus nimis ac nimis sodalis
Formosissimus ipse, dignus illa,
Et quem iam bene sana vult puella,
Tanto deperit igne, totus vt iam
Tabescat macie, nec huic μιτρίτορ
Nec dent cereæ imagines quietem.
Si dormit, grauior sopor labore est,
Vt morotis ei sit extimenda.
Nec furari animum potest amori,
Sic illum stimulant aguntq; philtra.
Dum illum hæc respicit, enecat tuendo:

Dum velat faciem, enecat tegendo.
Dum tacet, taciturnitas molesta est:
Dum fatur, renouat loquela flammam
Illam hic vrit, & vritur videndo.
Intimis grauis ardor in medullis
Tot suspiria, totque, tamque seuos
Singultus citat & mouet tacenti,
Deprendi vt queat hinc aperta flamma.
Proditur mage, quo magis latere
Vult, eo grauior molestiorque
Quò solamine nullius leuatur,
Et viuax alitur tegendo vulnus.
Secretum tenet ore, vultu apertum.
Nec celat bene, quo nec ipse cessat.
Vbique ad puteum, vt lupus, recursans.
Quàm se vellet Io puella vaccam,
Illum quæ prope se bubulcum haberet,
Quo se pasceret: abstineret herbis.
At quàm se miser esse vellet Argum,
Hanc qui centum oculis videre posset.
Vxorem hanc sibi vult sodalis vnam,
Vni sola placet, placetque solus.
Si sumit speculum puella, vultum
Conspectura, ita mens aberrat omnis
In vulnus quod amor tulit, nihil, quàm
Occurrit facies amantis, vsque
Fixus pectore vultus hæret, vsque
Huius lumina fascinauit, vsque

Iam virgo eripitur sibi, suumq;
Extra est corpus, in alteroq; viuit.
Absentem videt, & prehensat absens.
Absenti quoq; verba reddit absens.
Sed qui iam fieri potest? anus se
Dicit non nisi diuiti daturam.
Non istam iuuenis mouet venustas,
O insanus amor pecuniarum,
Non mores, decor, indolesq; multa,
Nec vultus male virgini cupitus,
Non fracti in varios gradus capilli,
Iidemq; aurei, eburneive dentes,
Non os tam lepidum, eminensq; nasus,
Discreto quoq; barba pexa mento,
Colla eburnea, vitreiq; ocelli,
Non illæsa cutis, manusq; longæ,
Non hirtum ac nimium virile pectus.
Vnus, pauperies, obex amanti est.
O insanus amor pecuniarum.
Dione, potes: vt velis, precamur:
A nostro has prohibe faces sodali.
Plumbeisq; Cupidinis sagittis
Nouo vulnere vulneri medere:
Aut huic porrige pharmacum Promethei,
A se quo miser arceat calorem,
Quouis igne sibi molestiorem.
Parce anus violare iura, parce
Quos natura simul deusq; iungit,

Ob stipem modo velle separare,
Non durat, scio, teda coniugalis:
Quam æris, non animi excitarit ardor.

Ad Ioannem Capelanum medicum de quodam Germano medico.

Germanus physeos satis peritus
Iunonis nihili æstimauit iras,
Dum nullum refugit lucrum, locumq;
Pestilentem: adeo ipse fisus arti
Plerunq; oscula porrigebat ægris.
Rem notam tibi Capelane narro,
Eodem quoq; poculo bibebat,
Cerotum ac cataplasma sępe lingens.
Tandem hunc fortior arte vicit aer.
Cõfectum ergo vbi se esse peste sensit,
Decreuit semel experiri, an esset
Naturæ bonitas malignitate
Maior, & magis illa quàm ista posset.
Vidit nil odiosius creatum
Peste hac, vidit & optimo ipse vino
Naturæ nihil esse tam benignum.
Annosum ergo sibi dari phalernum
Iussit, quo nimis inscienter hausto
Germane moritur quidem bibendo,
Absorpsitq; virum & merum vna pestis.

De duobus scholasticis iocus.

Domum Hermes reuocatus a parente,
Puellam socio, inquit, hanc relinquam

Tibi, si prius ipse te obligaris,
Quod illam mihi reddito huc remittes.
Non cõmittam, ait alter, istud unquam,
Ni sancte quoq; caueris receptam
Iri, ubi remeaueris, puellam.

Ad Ianum Lascarem.

Cum non Iane biceps sis, es tamen ipse bilinguis;
Et græco & latio primus in eloquio.
Cum sis Iane biceps, non es tamen ipse bilinguis;
Nil non prospiciens, nil nisi ueridicus.

Epitaphium Io. Bapt. Cho.

Hoc contectus Ioannes Baptista sepulchro,
Ipsi Baptistæ, aut nemo, secundus erat:
Qui sceleris purus, uitæ integer, & grauis annis;
Cœlo animam, corpus reddidit huic tumulo.

In quendam Philotimum.

Dum te sic gremio fortunæ dextra foueret,
A tergo nebat læua tibi laqueum.
Qui nondum no uit quot seruos, esse tot hostes:
Exemplo discat nunc Philotime tuo.

Eiusdem epitaphium.

Quem tot honoratum titulis humus ante tulisset
Ferre tot adfectum noluit opprobrijs:
Suspensum huc ergo de poste mori aëre iussit,
Fortunæ o ingens ludificantis opus.

Ad dominum Matthæum Galterum
maioris monasterij Abbatem dignis.

Non me posse tuis fatebor unquam

Gratiam officijs parem referre,
Quæ, dum horum subit ampla magnitudo,
Vix agnoscere præ pudore possum,
Queis me certe oneras magis, quàm honoras.
Dum me, dum mea singula ipse lustro,
Virtutem, genus, eruditionem,
Nil in me video hoc fauore dignum,
Quo me nulli habeas tamen secundum.
Acceptum est igitur tibi ferendum
Istud, quicquid id est, quo amare me vis:
Ni me verius obligare pergis.
Porro hoc ex animo facis, quòd a me
Nunquam hanc posse scias tibi reponi
Gratiam: & tua par pari referre
Fors (quę ampla est mage, quàm vt remunerandi
Concessura vicissitudinem sit:
Et nostra inferior minorque, quàm quæ
Possit) non patiatur, abnuatque.
Sed qui ex me nequeo, deum precabor
Nostram vt suppleat, & vicem rependat:
Et tu, vt me innumeris, te ita ille tantis
Ornatum augeat, expleatque donis,
Et tam fœneret, vt nec ampliora
Ausis poscere, nec dare ille possit.
Opes explicet axis vniuersas.
Nam terrestribus, vt scio, fatiscis,
Qui sortem tibi sponte blandientem,
Delatumque frequèns episcopatum

Vltro spreueris, id genusq; honores.
Qui possum ergo meum expedire nomen,
Qui cunctos fugis, vt venenũ, honores,
Et dona omnia non minus recusas?
Sim semper tuus ergo iam necesse est:
Nec vero redimi anxie laboro,
Q[illegible] o, sed volupe est tuus videri,
Qui tunc plus videor meus mihi esse,
Nam tuis mage, quàm meis fruiscor,
Nec tam sum mihi sępe liberalis,
Quàm tu prodigus es frequenter in me.
Abiurant iuga seruitutis omnes,
Vt dura, vt nimium molesta, sed me
Tum seruum esse fatebor, & putabo,
Quando abs te eximar, asserarq;, cui sit
Votum vltra omne, tibi subesse semper.
Ex tuo interea hunc habe libellum,
Non munus, sed onus profecto: verum
Hunc legas, vbi nil ages, & vt non
Nil agas, tueare, vindicaq;
Ab nota improbitate criticorum,
Qui vel hac ratione comprimentur,
Quòd quidq̃ illepidum, rude, inuenustum
Adferri tibi non licere credent.

De quodam Cardinale.

Quum olim pontificis calata summi
Essent comitia, atq; cardinalis
Hic pro iure suo interesset, illum

Morbus corripit: egredi volentem
Rogarunt socij, quid inde abiret?
Ne corpus cum anima, inquit ille, perdam.

In eum qui vxorem occiderat.

Coniuge ꝙ cæsa sic nunc Pandulphe triumphas,
Non tam ꝙ reris, laus venit ampla tibi.
Esse ne debueras & criminis auctor, & vltor?
Fecit enim imperio hæc, quicquid abusa, tuo:
Quam sic ornaras, vt vendere velle putarent.
Cui per te nil non, quod libuit, licuit.
Res leuior pudor est, quàm qui tot perferat auras,
Testudo Veneris iure subacta pedi est.
Retia debueras, non spicula tendere, pœnę
Rideri ipsa loco vult sua furta Venus.

Epitaphium Francisci Foliæ.

Franciscus Folia omnium peritus,
Sed nullo praeunte ei magistro,
Artium, tumulo hoc iacet sepultus.
Mirum quàm facili fuit manu, quum
Quicquam scriberet, hoc ita exequutus,
Vt nemo aptius expeditiusq;.
Priuato innumeri sales fuere,
Cunctis grata hominis necessitudo.
Si verba ad populũ, vt freqũes, habebat,
Nemo hoc continuit iocante risum,
Nemo hoc continuit minante fletum.
Certe hic theologus fuit disertus,
Orator, medicus, poeta, aliptes,

A lter Roscius, alter & Tigillus,
P iscator simul, & canorus auceps.
E phæbos quoq; re sacra peracta
R hetor quotidie domi docebat.
P ingendi simul ille norat artem.
H ic demum fuit alcumista: nil non
A usus, vix patrimonio pepercit.
N aturæ quoq; sacra fecit: ipse
I ntactum breuiter nihil reliquit,
H ippiam vt rear haud parem fuisse.
Huic natura quidem nimis benigna,
O mni ex parte parens erat futura,
Si par menti habitaculum dedisset,
F ecissentq; grauem hunc simul tot artes,
Qui gibbosus erat, leuisq; multum.

Epitaphiũ Reginę Gallorũ Claudiæ, quę lõgo tempore inhumata iacuit.

Quod tibi dilati fuerint ad tempus honores
Claudia, consilio res fuit acta deum.
C orporis atq; animi persolui iusta negarunt,
Pompa vna atq; vno tempore posse satis.
N anq; homines flebant, gaudebãt numina raptã,
D ij nancisci, homines perdere multa rati.
V ix habuit cœlum quicquam præstantius illa,
At nunquam tellus est habitura parem.

Comparatio regum & ignis.

V t friget distans, ita proximus vritur igni,
Hoc igni reges suspicor esse pares.

Ad Antonium Berthelot.

Risisti nuper, quòd Franciscanus in æde
Accentu dominus protulit in media.
Ordinis hic mos est, non ignorantia verbi,
Dant minus hi certe, & quà licet accipiunt.

Apologus Aesopicus.

Mébra ægre, dum his sermo fuit, seruire ferebát
Vnius ventris cuncta ministerio.
Consistunt dentes, stomachus, solitumq; perosæ
Officium segnes deseruere manus.
Dissidij authores pacem petiere coacti,
Ventris vbi immensæ non latuere vices.

Cæcus puer ad pueros.

O quibus effigiem rerum, mundumq; videre
Permisit summi gratia multa Iouis,
Macti animi este, bonisq; datis caueatis abuti:
Multa adfert visus commoda, multa mala.
Tristitiam visus adimet solertia mentis,
Si nobis semper fidus Homerus erit.

Ad Franciscum Siluanū Ambaceū.

Quid Francisce tuis nimis perurges
Indoctum vt modo publicem volumen,
Me verbis, quibus & fel addis, & mel,
Vt conuitia sæpe misceantur
Blandis cum precibus: sed id fit abs te
Suadendi artifice Hercules perito,
Suaderi vt mihi iam velim, sinamq;.
Iam vos nil moror, hinc abite libri,

Franciscus ratione vicit ista,
Qua dicit studijs male esse abuti,
Istæc scribere, quæ neges videri,
Qz nullo modo præmio labores
Tanti suscipiuntur a peritis.
Iam vix candidus vllus æstimator
Est, qui scripta probet, putetq; tantũ vt
Quid reponat abest honore digna.
Si scribis male, non legentur illa:
Si scribis bene, vix legentur illa.
Si recto omnia perficis tenore,
Et forte vnus erit prehensus error,
Hic tum morsus, & vnguis, hic repandũ
Vincent rhinocerota blatterones,
Huc visum (quasi sit scopus) tenebunt.
Sed vos nil moror, hinc abite libri,
Francisci precibus mei & querelis.

Ad Petrinum.

Quas Petrine struis, structas quoq; destruis ædes:
Nempe vbi nunc ipsa est mensa, cubile fuit.
Vtere consilio hoc, parces nummisq; tibiq;
Qui struere alterius diceris ære domum.
Sume (vt Diogenes Cynicus) versatile tectum,
Quod moneas voto sæpius ipse tuo.

In Ponticum.

Tu patriam damnas semper, moresq; tuorũ,
Atq; alijs abs te criminis ansa datur.
Damnabit patriam multo plus, quisquis in illa

Pontice te certò nouerit esse satum.

Ad Vitricum.

Dum tibi blanditur coniux, & numina iurat,
Se non posse tua morte tenere modum:
Illa stetit dictis, tua nanque vbi funera vidit
Efferri, medijs risit in exequijs.

In senem auarum.

Senex auarus plus petebat tempore:
Tum debitor, quòd præueniret is diem,
Lucentem eunti iussit accendi facem.

Ad Gangidum.

Dum vexas alios, minime Gangide quiescis,
Huic similis flagro, quod terit, & teritur.

Epitaphiũ Philippi episcopi Lemonicẽsis.

Quantam heu iacturam iuuenili in funere fecit
Publica res Christi, publica res populi,
Dum te sic Christoque pium, populoque salubrem
Spe iuuenem multa mors inopina rapit.

Ad reuerẽdissimũ Maioris monasterij
Abbatem Matthæũ Galterum.

Cui non nota suo est cantu philomela, negabit
Parui tã longos gutturis esse sonos.
Cui non nota tua est solertia tanta, negabit
Paruo tot sensus corpore posse tegi.

Distichon.

Me pœnitendi consulit nati pater
An is vacaret literis? aio, vacat.

Tria quæ Raollin mirabatur.

Mirari solitum ferunt Raollin
Illum in theologis pereruditum,
Tria hæc cuilibet hercules stupēda,
Inter quæ fuit huius ordo primus:
Tot cæduntur oues, & exeduntur
Locis omnibus, omnibus diebus,
Quas mentigo, sacerq; vexat ignis,
Quæ nunq̄ pariunt supra gemellos,
Idq; anno semel: has tamen videmus
Quòd vincant numero greges luporum,
Qui raro perimuntur, vndecimq;
Partu plus minus egeruntur vno.
Totus iamq; recenseatur orbis,
(Mirabatur & hoc senex secundum)
Plures fœminæ vbiq;, q̄ viri sunt.
Nec vexant genus arma fœmininum,
Quæ tot conficiunt greges virorū,
Nec tot cœnobia arcta fœminarum,
Quæ sacrisq; deoq; mancipātur,
Quot iam cōperies virorum, eorum
Qui aut ingem statuere cælibatum,
Aut parcunt lateri, sibiq; viuunt.
Ne tot absq; viro recenseamus,
Non vsquam tamen inuenire posses
Tam obstipam, vsq; adeoq; claudicantē,
Et queisuis scelerum notis onustā,
Quam non duxerit indigens maritus,
Si multo locuples potitur ære.

Nunc pars tertia restat explicanda.
I am passim licet extrahatur aurum,
C ui nil deperit igne, quod rubigo,
Quod sal, quod penetrans edaxq; acetũ
N on rodunt, tamen in dies queruntur
O mnes nunc minus esse, quàm prius. qui
T ria hęc soluet, erit mihi hic Apollo.

Ad Vercellanum.

Vercellane, tuo quid modo luctui
C hari in funere Bracheti
I ndulges nimis, & te laceras? quasi
E ffrenis graue nescias
N aturæ imperium? desine conqueri,
Quin vitam mage rideas,
Ac instar tumidæ credito bullulæ,
Quæ vento subito intumet,
O ccasura quidem præcipitãtius.
M ors nullum eximit, omnibus
I ncertum parat, incertior exitum.
H æc ætate senes mala,
H æc primo iuuenes tempore conficit:
H is longe vt reor æquior,
Quòd nusquam senij tædia senserint.
Sed quæ nostra superbia est,
S ic lugere hominem, quasi
V llus visus adhuc perpetuus? caue
H oc mœrore Iouem ledere maximum,
D um te forte pium putas.

Nō vult Iuppiter hac parte redargui.
Vercellane vale:at veni,
Et me vise magis,qui tibi detraham
Partem tristitiæ tuæ.

Ad Stephanum Poncherium Senonensem archiepiscopum.

Dum curis animus resedit,atq;
Te respublica nonnihil reliquit,
Dum quinquatria solus otiaris,
Si quoquam potes ipse solus esse,
Isthæc perlege,Nicolaus orat,
Tam ignauissimus omnium poeta,
Quàm sis optimus omnium archiflamen:
Qui sacris tamen ipse dignus abs te est
Indicatus,& institutus olim,
Sacerdosq; tua manu perunctus.

In cæcum auarum.

Cernere quod nequeas, quo nolis insuper vti,
Tanto aurum studio quid tibi cæce paras?

Ad Ponticum.

Ne differ nondum sapienti iungere natam:
Qui petat hanc sapiens, Pontice,nullus erit:
Non tam quòd sima est,& hianti inamabilis ore,
Vxorem quàm quòd non sibi vult sapiens.

Epitaphiū Stephani Mayi auunculi.

Hic Stephanus situs est maiorum e sanguine claro,
Sollicitus templi qui Prior huius erat.
Vicit pauper opes,humiliq; superbia cessit,

Et casto Veneris non nocuere faces.
Doctus erat, multasq; sciens pertriuerat arteis.
Cantorum secli gloria prima sui.

De ludo vitando ad Ponticum.

Discat lusurus, cui lucri cæca cupido est,
Imò quem parti deserit æris amor,
Seu male, seu fœliciter alea iacta resedit,
Quod nullas ludo sit pariturus opes.
Parta quidem ludo nunquam tua Pontice fient:
Quod vero perdis, desinit esse tuum.
Ni iam falsa putas fidei documenta receptæ,
Impune haud vlli transgredienda viro,
Quas non dimidias ludus consciuit inanis?
Quot ludo assumpti deperiere dies?
Quæ coquit interius, stolidi quæ est cura medullas?
Perdita dum memorat, dum reditura putat.

Ad Mottam.

Me plerisq; putant, quod ipse non sum
Ad hanc vsq; diem ratus, nec vlla
Expertus ratione, posse apud te
Non nihil. si ita sit, probes apertis
Id nunc indicijs, vbi me amici,
Quos præ me fero semper, ad rogandum
Te cogunt. si ita non sit, id palam fac,
Vt non denuo te rogem molestus.

Ad Ponticum.

Vsurarum ego disputatione
Te semper vdio anxie implicari,

Iam vix te theorema habere credo,
Sed certo scio non habere praxim,
Nam nemo tibi, neminiq; credis.

In Marcum.

Quod te odi, mecumq; simul vicinia tota,
Id vitio credas Marce venire tuo.
Nam nec amas quenq̃, nec ob id redamaris ab vllo:
Sunt in amore vices, fac, vt ameris, ama.

Ad Macium.

Quod sic dulce canis, moribũdum imitaris olorem.
Quod sic sanus agas, hoc tibi cedit olor.

Ad Lucium aduocatum.

Luci sæpius es mihi minatus,
Si quando reus in forum vocabor,
Nunquam te mihi prorsus adfuturum.
Quando sic placet, id feram haud grauate,
Si aduersæ mihi partis es patronus.
Nec tum opus mihi rebor aduocato.

Ad Gallardum Rusçum.

Malum, nec malum id aureum, quod auro
Non duxi inferius, mihi dedisti.
Fecisti mihi rem Rusæe gratam,
Non tam hoc munere, q̃, q͂ est datũ abs te,
Abs te inquam iuuene & bono & modesto.
Decem hoc prætulerim Maronianis.

De claudo & sene.

Fur claudo abstulit & seni bacillos.
Furto erant simul hoc duo impotentes:

Aegrius tamen id senex ferebat,
Et diuos animabat in latronem,
Tot ne illi, vt baculo indigeret, annos
Largirentur: at alter imprecatus
Nil certe est grauius, magisque dirum,
Quàm quod furi aliquando scipionis
Necessarius, vt sibi, esset vsus.

Ad Brussum.

Quod te carmine nuper extulissem,
Maxime tibi Brusle complacebas.
Extuli, fateor quidem, idque feci,
Non quò vir bonus ipse censearis,
Sed salsus mage quò poeta dicar,
Qui de te bona tam malo canebam.
Qualis sis, minime quidem asserebam,
Sed qualem magis esse te decebat.

De quodam Minoritano, & alio.

Franciscanus in alteram profundi
Ripam fluminis excipit ferendum
Quempiam nitidum, comatulumque.
Parco huic nomine, rem minus silebo,
Dignam, publica quæ sit, atque fiat.
Impostumque humeris rogauit ipse,
Quũ ventũ ad medium prope esset amnẽ,
Franciscanus, an is pecuniarum
Quicquam forsan haberet? ille habere
Se dixit, quibus hunc iuuaret, amplas,
Affatim quoque asymbolum cibaret.

Promissis nihil excitus vadator,
N escis ordinis, inquit, esse nostri,
N os deferre pecunias vetari?
D esertor minime huius ipse fiam.
E xcussum simul hunc in amne liquit,
Noui vtrunq;, & id audij ex vtroq;.

Epitaphium Feali.

F ugerat hoc probitas viuo, hoc moriente rediuit,
Oderat hæc illum, hanc oderat ille magis.
S cibat eam in cælo: ne forte offenderet illam,
In lethen moriens & Styga flexit iter.

Epitaphium Boëni.

An viuum functum ne ignoro hunc dicere possum,
Qui nunquam sensit se esse, minusq; mori.
Si queris quid agat lapidum hoc sub monte Boënus:
Ni dormit, comedit, qui bibit ante satis.

Epitaphium Vgonis.

H ic iacet Vgo senex, sed qui prius inde recessit
Quàm scisset cur huc venerat, aut quo abijt.

Epitaphium Morpsilli.

S æpe quidem, reminiscor adhuc, Morpsille rogasti,
S i mihi longa magis quàm tibi vita foret,
V t tumulo ipse tuo vellem superaddere carmen,
Esset quo nomen notius inde tuum.
Hoc agerem iussus, verum tibi parcere malo,
Qui nec ficta lubens, nec reticenda cano.

De patrono & medico.

L is olim medicum inter & patronum

Mota est, alterutri quis anteiret.
Tunc res, iudicium fori negante vt
Suspectum medico, fuit relata
Quendam ad Theologum hercules sagacē.
Postquam quisq; sua extulisset ample,
Auditoq; vtriusq; iure partis,
Tandem theologus rogauit, an non
Dum pœnas scelerum luunt latrones
Præcedunt, sequiturq; deinde lictor?
Verum esse id subito fatentur ambo.
Sic, inquit, medico præire debet
Patronus, siquidem hic latronis, ille
Tortoris gerit, atq; munus implet.
Vno hoc scommate rite lusit ambos.

De Tonsore.

Cum furem artificem, ex eoq; cunctos
Male audire subinde χειρονάκτους.
Et furti insimularier videret,
Tonsor, qui tū aderat, me oportet, inquit,
Et nostri ordinis eximatis omnes.
Nam si quid capimus supra capillos,
Dum vos radimus, atq; dextra fallit,
Sentitur facile, ocyus tenemur.

In quendam.

Non amo te, qui nullius sis dignus amore,
Odi ego te, mecum quod facit & populus.
Cui caput obstipum, macilento pallor in ore,
O macies animi nuncia vera tui.

Mirum,quod genitrix tam longum pertulit aluo,
Quem modico nullus tempore ferre potest
Mobilior ventis,omniq; immanior Hydra,
Rimarum plenus, plenus & inuidiæ.
Vindictę cupidus,rabidam procliuis in irã,
Debilis es, sed qui iurgia multa feras.
Codro pauperior,Thersiteq; vanior ipso,
Fallendi cui iam cesserit arte Sinon.
Miratorq; noui,sed quem fastidiat vno
Res,adeo leuis es,quamlibet apta die.
Audax assertor falsi,temerarius erro,
Sed vinci nulla qui ratione queas.
Qui quàm vir dici possis,muliebrior extas:
Qui quàm sis mulier,peior es & nequior.
Nec bene nosceris,nisi præcipiteris i vndas:
Merso vt te liqueat,vir,mulierve sies.

De N. Bono Præside.

Nomine req; bonus Bonus omnia,nempe sacerdos
Iudex,& doctor,ter bonus hic Bonus est.

De muliere Michaeli & diabolo
simul sacrificante

Quædam fœmina singulis diebus
Candelas geminas dicabat,vnam
Dei signifero,alteram subacto
Dæmoni:interea rogata causam,
Respondit breuiter,sed haud inepte.
Illi,inquit,fero,me vt iuuet benignus.
Hic,ne præteritus subinde lædat.

De annulo Ioanni Roberteto dato, ad eundē.

Credis quem dedit annulum puella,
Qui pala patientiæ ferebat
Inscriptum titulum, mali fuisse
Ominis, quòd eo die tibi quo est
Missus, te rabidus, ferox, cruentus,
Certe ausus nimium canis momordit.
Si fato fuit id ratum necessi,
Cui ne dij superi quidem resistunt,
A sæuo impetereris vt molosso,
Nil est quod queat annulo imputari,
Multum est quod queat annulo referri,
Vt qui præmonuit, malum futurum,
Quod vitare tibi haud erat potestas,
Perferres animo virilis æquo.

Nihil interesse vbi quis moriatur.

Is cui Moscus, vt abstineret armis,
Suadebat, quòd in his auus perisset:
At tu, inquit, caueas tibi a cubili,
In quo mortuus & tuus parens est.

Schediū pro puero vinum offerente.

Vt præstans, hederā, sic lōga encomia vinū
Negligit, hac fiam nunc ratione breuis.
Qui vobis vel quod biberēt diui, ipse propino,
Libate, ipse vices nunc Ganymedis agā.

De domino multa simul sciscitāte.

Seruū importune, sua quę est insania multis,
Cōmotus simul hoc omne rogabat herus.

Dic scel⁹, an venit? an domi erat? soluitne? negatne?
Cui trepidus famulus, non, ita, nil, aliquid.

Primi libri epigrammatum
finis.

Nico.Bar.ad D.Iaco.Colinum S.Amb.
ab.digniss.de Roberteti morte.

q Vis me contineat? quis imò non me
Iamiam contineat tot alligatum
Immensis grauium tenis dolorum?
Quos iniecit iniqua mors, acerbo
Dum sic vulnere cæca mersit illum
Rob. me deficit vndecunq; virtus,
Scribentiq; cadunt manusq; mẽsq;.
Iam nec scribere, nec vocare nomen,
Hoc quod scribere, quod vocare semper
Vel certe immeditatus assolebam.
Verum sentio iam redire vires
In precordia, dum subit tui, quo
Se iactura probe resarcit omnis
A misso mihi facta tanto amico,
Candoris, fidei, benignitatis,
Adiunctæ his simul eruditionis:
Ob quæ te modo nemini secundum
Rex cõsultus habet, tibiq; rerum,
Cui sane placuisse summa laus est,
Verborumq; fidem subinde credit,
Ob quæ inquam mihi restitutus ille
Si maior modo non es illo, amicus:
Cui nostros numeros prius dicarem.
Ast illi vt prius, hos ità vt puto, nunc
Excultos melius tibi offerebam.

NICOLAI BARPTOLEMAEI LOchienſis epigrammatum liber II.

Ad generoſiſſimum Franciſcum, Franciſci Galliarũ regis potentiſſimi primogenitum.

Qui vel ſpecie merere regnum,
O Princeps, omnia par ferè parenti,
Vis famam, decus, & perenne nomen,
M anſuramq; adeò parare laudem?
N on tam Palladis arma, quàm ſequaris
A rteis: bella manuſq; conſerentẽ
V ix te vnus videat ſatis, vel alter:
A t te Palladis artibus celebrem
P ræſentes ſimul & vident ſequuti.
C aſſi lumine quid forent, eis ſi
O bſtarent taciturnitatis vmbræ?
I am non plurima cernimus ſepulchra
C ultu magnifico, pariq; ſumptu,
A ſtrorum ve, hominum ve corruiſſe
I ræ obnoxia? ſunt perenniores
Quouis marmore Muſæ, & ære quouis.
Has ergo timeas ameſq; ſolas,
S i laudis deus eſt tibi Cupido,
N ec vita bene emi putas honorem,
Quæ te tollere ſolæ vtrinq; poſſunt,
A ut dum facta canent tua, aut ſilebũt.
Quin iam, conſulo, fulmina illa belli,
Quorum vt laus, ſimul æmulanda virtus,

Quæ testes sibi gaudet esse Musas,
Pelæumq́ imitare, & Africanum.
Hic semper comitem Ennium trahebat,
Et condi voluit suo hunc sepulchro.
Ille haud se placidæ dabat quieti,
Quin puluinū habuisset auri Homerū:
Cui mouit lachrymas Achillis vrna.
En sextum tibi iam Ennius reuixit,
Nimirum Theocrenus ille, magnus
Profecto ingenio, minor nec arte,
Quo, quàm Fuluius Ennio, doceri
Possis certius, aut Achillis herbas,
Aut quæ Atlas radio prehendit astra,
Aut illam Pylij senis suadam,
Aut certe, magè quæ tuæ esse debent
Artes, imperio quibus regatur
Iuste ac legitime vniuersus orbis.

Ad Reuerendiss. apost. Se. legatum
Antoniū a prato, Archiepis. Seno.
Franciæ cancellarium.

Tollere decrerat nostro te Iuppiter orbe,
Teq́ nouum cælo sydus habere suo.
Quod simul audiuit supplex respublica, factum
Ne vellet, tremula est voce precata Iouem.
Neve hominē raperet, quo sol min9 vtilis orbi est,
Atq́ sua hoc in eum pro pietate daret.
Non nihil his motus, neq́ dat, neq́ denegat omne,
Communis sedenim, Iuppiter inquit, erit.

Ille tuas premat, & longum moderetur habenas,
Dum quoq; nos oneris parte subinde leuet.
Quàm bene cõsultum est, respublica dixit, vtriq;:
Quandoquidem tot par rebus hic esse potest.

Ad D. Gabr. Grandimõtensem Cardinalem.

Quod tam notus eras, quàm nũc incognitus, olim:
Hoc adscribo meæ, non tibi, desidiæ:
Vt qui omnes, tua quæ prudẽtia, cãdor & ingẽs,
Vel minime notos obuius excipias.
Ni iam me timidum, quod res est, dicere malis,
Cui, ne congrederer, restitit vsq; pudor.
Qui nec adhuc pulsus, Gabriel spes altera regni,
Vt scripsisse sinit, sic & adire vetat.
At qui non ausim per me, per te omnia iussus
Audebo: audacem, si iubeas, facies.

Ad Gulielmum Budæum a libellis Regijs.

Budeæ vellem, vt nil magis,
Si me pudere tam sinis,
Budæus esse: te tamen
Nollem esse me, nec te hercule
Par esset vsq; deijci:
Sed Marcus esses Tullius,
Vel Atticus Demosthenes,
Aut si quis istis omnium
Princeps magis sit artium.
Tu sic te adeptum plurima,
Qui te profecto, & si scias,

Te nemini, quæ pol tua
Modestia est, prefers tamē:
Ego arbitrarer omnia,
Qui te profecto sat sciam,
Ob idq; cunctis præferā,
Nec fallit hic sententia
Qui sunt, fuerūt, aut erūt:
In quo relucent omnia,
Quæ singulis vix singula.

Ad eundem.

Ecce crocum, ecce iterū carmen tibi, gratior olim
Vt crocum, ita hoc iubeat carmen Apollo legi.

Ad Ioann. Barthomeirum.

Vnumquenq; suæ deliciæ trahunt,
Barthomeire animi pars melior mei
Vos o, ipsa quibus vita quietior,
Securi excubijs, mœnibus vrbium
Horas mille modis fallitis, vt minus
Vos longi capiant tædia temporis,
Nunc delubra deum, nunc loca publica
Lustrantes in equis visitis, aut domos
Vicinas, vbi vel si iuuat alea,
Collusor dabitur, vel si animo, aut gulę
Indulgere vacat, protinus adfluent
Omni ex parte, velut graculi ad aucupes,
Conuiuę lepidi, nec deerit quidem
Comus, tunc leuibus sparsa facetijs
Pro se quisq; iacit scommata, non habet
Ob sportas varias quid petat hic gula.

F astidire potest plurima, mens caret
R e,quã vltra cupiat,nã quod amœnius
A ut præstantius est antidotũ ad graues
P ellendas animi solicitudines,
Qꝫ facũda,frequẽs, læta sodalitas?
Non tristes pluuias,non penetrabile
F rigus,non glaciem,non pluuios notos,
V rentemqꝫ homines & sata Sirium
H orretis placidis sub laquearibus.
Nos vero,quibus,vt dicitis,vrbici,
V ita ac mors eadẽ est,ruris opes iuuãt.
Qꝫ dulcis sopor est sub topiarijs,
E t ꝙ suauis aqua è flumine proximo
P lena absorpta vola,quàm faciles cibi
Quos natura suis cõdijt artibus.
A dscitis remorãtem pilulis famem.
N obis sæpe venit vel renuentibus.
S ed desunt socij,sunt comites feræ,
I nter quas est etiam viuere tutius,
Quàm cum vulgo hominũ sępe nocẽtiũ,
E t qui peius alunt virus, & euomunt,
M ordentqꝫ asperius qualibet aspide:
Quorum nequitias,ac sycophantias
N ec noris temere,nec bene fugeris:
Qui plerunqꝫ iocos, non secus ac pilas,
A ut sphęras iaciunt, sæpius vt velint
I llis lædere, ꝙ ludere subdoli.
At nos talibus à delicijs procul

Nunc plaga Veneris sanguineam rosam,
Narcissum, & violas cædimus vnguibus,
Gaudemus spolijs mitibus arborum,
Nunc falluntur aues, & lepores cito
Cursu persequimur, conficimus lupos,
Nunc tondemus oues, inserimus pyros,
Hic ceruos acuit, rastra alius parat,
Hic nil segnitiæ, nil datur otio.
Vis dicam? labor hic gratior est tamen
Nobis, præferimusq; ista negotia
Vestris omnibus insuauibus otijs.

Ad P. Danesium.

Nunc ò gloria Galliæ Danesi,
Re quàm nomine verius δανείζεις,
Dum cunctos tibi fœnerare, vita
Defunctosq;, superstitesq;: dum tam
Illos prælegis eleganter, istos
Dum tam quotidie doces scienter.
Tibi hoc nomine sese vtriq; debent.
At nullum tibi fœnus inde speres,
Cui nunquam redhibenda sors sit omnis.

In seruum.

Si te subdole serue perdo, qui me
Haudquaq; sinis esse negligentem:
Me fecisse quidem putabo lucrum
Ingens, cui mala crux erit sepulchrum,
Maiores vbi sunt tui siti omnes.

Prologus.

Iſete patres, maximo eſt ſilentio
s Echo audienda, quæ breues, verum graues
Sẽtẽtias claudat duabus ſyllabis.
A udite iam, nec vos diu morabitur.

Dialogus Zetetæ & Echus.

N ũc me Echo propere ſequare. Quare?
E x te multa velim neceſſa. Ceſſa.
H aud ceſſabo equidem, loquere. Quære.
E cquam fers ſpeciem decoris? Oris.
T alem qui genuere te parentes?
Quis pater tibi, quæſo, dictus? Ictus.
M atre ergo, puto, nata voce. Voce.
Quid iã vult ſibi hyems maligna? Ligna.
Quisnã æſtate homini moleſtus? Aeſtus.
Quis ſępe eſt malefactor? Actor. Has ſũt
Qui technas meditantur aduocati.
C ati. Inſtar trucium appetunt volucrũ.
Lucrũ. Maximus eſt abuſus, Vſus.
Quoſuis ius medico eſt necare, Care.
T antus theologo vnde faſtus? Aſtus.
Quo plebs hũc magis æſtimet. Timet. Nõ
Abs re, at plus modo miles eſt timendus,
Qui rapta quoq; veſte tangit, Angit.
Quid decet modo fœminas? Minas. Num
E t perſæpe flagella multa? Multa.
Quidnam has conueniet monere? Nere.
Quid fit ſi domo abeſt ſua maritus?

Ritus. Tunc ne relicta gaudet? Audet.
S cis Echo quod onus sit à superba
S ubdi coniuge? Iuge. Quidnā agendū est
S i coniux minus est honesta. Ne sta.
N um pax, si fuerit pudica? Dica.
H osti optanda igitur tibi videtur.
D etur. Nulla ne nota, vita cuius
S it laudabilis atq; rara? Rara.
C ur hanc fœmina fœminis inuris
N otam? Notam. Atenim est seuera. Vera.
Quo se mancipium implet, ipsa nescis?
E scis. Num satis hoc potest vetare
H aud segnis dominus? Minus. Puto ergo
Præstaret famulis carere. Rere.
Quis dijs proximus? Imus. An superbos
N on ijdem bene diligant? Ligant. Quæ
P osthac spes reliqua est minus benignis?
I gnis. Iam decet hoc cauere. Vere.
Qui admisit scelus, ergo ploret. Oret.
N ūc si Echo vacat, hinc recedito. Ito.

Ad D. Budæum.

Mitto crocū vxori, nostrū hunc tibi mitto libellū,
Budæe, vt video, tempori vtrumq; quidem.
N am quadragenam Phœbe duodena reducit,
Quæ condire croco ferula multa solet,
Quaq; sacro eloquio, cunctis post terga relictis,
Mens sese pasci sic velit, atq; decet.
V nà crocum tellus tulit, authorem q; libelli,

Fertilior ne croco ſit, vide, an ingenio.

In hoſpitem inhoſpitum.

V eni nuper in hoſpitis tabernam,
S i is non hoſtis erat magis vocandus,
Quo ſæuum minus arbitrer Procuſtem.
Heic, poſtquàm accubui, cibi adferũtur,
Quæſitiq; diu, & male adparati,
P anis deniq; durus, & quod iſto
L onge durius, inſuaue vinum:
I is ingens pretium, ac idem coactum.
C ui nõ mouerit iſta cœna bilem?
I pſe ergo hoſpite non valere iuſſo,
D iſceſſum paro, verũ vt indecorum,
N ec tutũ mihi, nolui, ſed egi,
V t verbis aliquantulum leuarem,
A t quam non ſuboleret hoſpes, iram.
Iam iam care valebis hoſpes, aio,
T e ſors ebeet, eleuetq; ſemper,
T heſaurum merite, altiuſq; robur,
M ω rare, hic tibi quandiu eſt morandũ.
P oſt vitam, hinc rapiaris ad Beatam.

Ad Antonium Fonteneium.

N emini debet nimium licere.
Cui licet plus quàm decet, hic magis ꝙ
P ar ſit, & molitur, & huic ſuadet
Copia luxum.
Quo fit vt te abſens moneã libenter,
Quod licet, non quod libet, vt ſequare.

Si secus, spera haud similes daturum
Te mihi pœnas.
Audio de te, minus esse vera
Quæ putem, rumor tamen ille de te est,
Prò scelus, quod iam studijs relictis
Nil, nisi ludis.
Quæ ferent istud patienter aures?
Quod tui tam oblitus es, immemorq;,
Vt super magna meditere nullum
Laude laborem.
Si per ætatem nimium tenellam
Non tibi iam tam licet esse gnaro,
Vt satis fructum studij anteuertas,
Spemq; sequentem,
Præuide saltem cito me adfuturum,
Dextera, vt nosti, male pruriente,
Vultu eo, quem non, puto, sustinebis,
Nec mage flagra,
Queis tibi sæuis procul insonabo
Æacus nec sic, subigit fateri:
Heu miser, frustra veniam rogabis,
Tergore pendes.
Parce nunc ergo tibi, parce flagris,
Fac tibi quod sit decori futurum,
Fac mihi quod sit volupe, atq; vtrisq;
Semper honestum.
Illa mens certe generosa non est,
Quæ fugit famæ melioris auras,

Respice aequales, dabit ecce virtus
Aemula calcar.

In impium.

Qui peccat, aut pœnas futuras negligit
Insanus, aut certe futura premia.

Epitaphium aduocati qui se militis effigie sculpendum curauerat.

Non est viator, quo patronū heic cōditū,
Armata cuius imago, crudelē hinc putes
Fuisse, qui nūquam arma viuus cœperit:
Pictoris hercle, quàm sua, trucior manu.
Sequutus est forum, idq; clementissime:
Vt, cuius ore nullus actus sit reus,
Qui capitis, aut rerū periclum subierit:
Aliena vero semper habuit vt sua.
Quod nobilis sit, debet hoc maioribus.

Ad Erinum.

Multum Plinio Erine, Plini Erino
Debes: plurima contulisti Erino
Plini, nempè peritiam polorum,
Terrarum, marium, vrbium, ferarum,
Gemmarum, lapidum, aeris & metalli,
Naturae simul vniuersae, & ad quem
Vnumquodq; deus creauit vsum.
At contrà bene si recenseamus,
Plinio inferiora praestitisse
Erinus minime potest videri,
Qui mancus, lacer, omnibusq; pene

M embris turpiter & male elocatis,
Quiq; olim sine lumine, in tenebris
S qualebat, minime quidem sat vlli
I ntellectus, & explicatus, ecce
S anus, integer, atq; restitutus
L uci, pulchrior, vt grauem solemus
P ost morbum, exilit, & sitũ relinquit.
R es nulli satis acta, tacta multis.

Ad Lucium.

M e multiq; boniq; dudum apud te
L uci, laudibus extulere summis,
Quas agnoscere nõ queo, aut referre,
M ultum hoc nomine me tibi volentes
C ommendare, nimis profecto falsi.
Mallem, si modo malle tale possum,
C oram te scelerate, cui timori est
V irtus, hincq; odiosa, prædicari
L urco, ganeo, mœchus, aleator,
A ut eiusmodi scurra, nebuloq;,
N imirum similis tui, tuosq;
A d mores, sycophantiasq; factus,
Qui nullum hactenus extulisse visus,
Qui non moribus altus esset istis.
S ed iã, vt vis, sacra misceas prophanis,
N unquam id sollicite queremur vltra,
C um maior pateat malis ruina,
Quo sublimius altiusq; crescunt,
Qui pol quò magis efferuntur, hoc plus
Illorum & tua turpitudo paret.

Ad Ioannẽ Sallineñ.

Queris, quos mihi deligam
Queiscum viuere postulẽ.
V ti vt nolo potentibus,
S ic odi quoq; pauperes.
Illi, semper vt imperant,
S ic hi nil, nisi flagitant.
D ũtaxat mihi amo pares,
N ec plus nec minꝰ exigẽs,
Q̃ quod fors mihi iã dedit
S i me forte coegerit
Delegisse necessitas,
D iti pretulerim indigum.

Ad libellum.

Quid est libelle mi? an tuo hoc fato datũ est,
A n potius inuidia superstitum æmula,
Quæ summa tantum tamen vt ignis appetat,
V t nullus admirator vsquam sit tui,
V erum ne amator quidem, tot a me vigilijs,
T anto labore, lectione plurima,
N ec absq; sumptu, nec absq; magno tempore
D ispendio certè valetudinis meæ,
S ortisq; maximo, nec, arbitror, sine
I ndustria, nec abnuente Pallade
F ormatus, educatus, ac tandem editus.
Lib. Nil est quod isto iam queraris nomine:
P laceo quidem vel eruditioribus.
Quod si secus cederet, pares multos habes.

Id contigit plerisq; vel longissimo
Præeuntibus spatio, Philisto scilicet,
Populiq; flori Thucydidi ipsi attico,
Necnon Catoni, mitto dicere quē virū.
Illos sua omnes nescierunt secula,
Posterior ætas coluit ad miraculum.
Spes maneat illa te, isto eūt fata ordine,
Vt sint vices rerū omniū. quę perplacēt,
Aliquādo displicitura sunt: quæ displicēt,
Q; mox honore in sūmo habēda: nec stare
Summis, nec infimis iacere diu est datū.
Vectos premit, pressosq; sēper vehit de⁹:
Vt fama nascitur, perit citissime:
Neq; ratione, imò opinione ducitur.

In Quæstores.

Parui artamos fures terunt,
At magni, & aurum & purpuram.

Ad Frācíscum Antonin Perrulsiæ dominum.

Francisce, mecum quādo multos intuor,
Tecumq; confero, videris omnibus
Quos nouerim, multo quidem fœlicior,
Qui sic procul foro, procul negotijs
Sis positus in villa tua Perrulsia
Tempis amœniore cœloq; & solo:
Quid attinet cœli referre gratiam?
Perpetuum vbi ver, & alienis mēsibus
Graues bis arbores, ouesq; æstas videt,

Solo Ceres Trinacriam postponeret,
Nec laudibus Perrulsiæ certauerit
Frugum parens Italia, nec iam Mysia
Iactare cultu se pari certe potest.
Si Naiades nossent prius Perrulsiam,
Parnasus esset Naiadum vacuus choris,
Suamq; Cynthius neglexisset Delum,
Sedesq; Perrulsiæ locauisset suas,
Vbi lacus fontesq; lympidissimi,
Nec non perenni prata cincta flumine,
Nemusq; semper frondium virens comis
Balearibus frequentius cuniculis.
Quàm lenibus volucrium hic concentibus
Mulcētur aures? q̃ ora fructibus nouis,
Quos Gallia hactenus quidem nesciuerit:
Perferre miratur peregrinas comas,
Fructusq; nō suos frutex mansuetior.
Tēplū quid illud, lapide quouis marmore
Præstantiore numini positum canam?
Perrulsiam quis his beatam non putet?
Beatiorem iudicaturus quidem
Regnari eā abs te qui insuper cognouerit.

Ad Musas.

Hinc Musæ, hinc agedū facessite omnes,
At sero, tamen hinc abite sero,
Quæ me blanditijs, ineptijsq;
Vestris tam male tandiu occupatis.
Ecce omnes socij mei à choreis

Qui vestris petiere missionem,
Nunc ad culmina honoris efferuntur:
Ast demens ego, vestra qui sequutus
Magno ac perpetuo labore castra,
Mihi, quo tolerare me ipse possim,
Vix feci reliqui: nec ampliora his
Vestro illi peperistis olim Homero:
Nec ditare quidem soletis vllos,
Delectare sat esse suspicatæ.
Sed huc deprecor, huc redite Musæ,
Quas cunctis opibus, pecunijsque
Necnon fascibus & togæ antepono.
Sic sortem minime verebor vnquam,
Nec certe reuerebor: ipsa quippe
Nullum in vos, comites, domosque vestras
Ius fortuna potest habere, apud quas
Metu pauperies soluta regnat.

Spes mea deus.

Sors hinc procul, spes hinc procul,
Nec limen hoc iam insistite.
Vos, qui minus nouit, colat:
Sors, & mea omnis spes, Deus.

In Lincum.

Perdidit vxorem Lincus: dũ quæreret illã,
Ostensum est Linco, qua instituisset iter.
Ibo ex aduerso, inquit, nã cõtraria semper
Coniux & facere, & dicere cuncta solet.

Ad Ioannem Refugium.

Sapphici quòd sic numri iuuent te,

Sapphicis vtor numeris apud te,
Me licet multo lyra desuetum
Negligat vsu.
Nescio si nunc Refugi superbum,
An magis pigrum, fideive fluxæ,
An simul totum, vocitare iure
Te modo possim:
Qui data dextra, simul & dedisti
Verba: nec certe potes hoc negare,
Qui me adhuc non viseris, id frequenter
Antea pactus.
Ipse te noster modo clamat hortus,
Pendulæ necnō cerasi queruntur
Ferre tam longum peritura, si non
Poma legantur.
Me tenet durus nimium magister,
Inquies, necnon vigil excubator
Et fores obseruat, & arcet ad te
Ire volentem.
At quis hoc credat? quis enim magister,
Ne magis ter dicam, adeò est magister,
Qui die festo studijs puellum
Ludere fessum
Nolit, aut non nouerit, idq; certo,
Nobilis quòd mens pueri fatiscit,
Læta ni austeris varientur olim
Festa profestis?
Ista si tu scis Refugi, & quidem scis,

E loqui, vel talibus aptiora,
I am tibi, spero, facile exeundi
Copia fiet.
T u vide, nullas mihi necte causas,
V el veni, vel te Refugi superbũ,
I nsuper pigrum, fideiq; fluxæ
Iure vocabo.

Ad Franciscum Vatablum.

T e plurimi facio quidem, quòd te nihil
F acis, tot æstimandus aliàs partibus:
Quod, vt reor, facis, omnis osor superbiæ,
Vel, vt alij, virtutis haud gnarus tuæ.
Qui & integræ vitæ, probis & moribus
T antam eruditionem, & idiomatum
P eritiam omnium simul coniunxeris.
C or credo tibi, vt Ennio, esse triplex.

Ad Gerardum Vercellanum.

V irtute & studijs qui cõciliatus honestis,
Verus amor memorem me iubet esse tui.
M e iubet esse tui memorem, vel vt ipse molestus:
Ni qui, vt ego, ardenter diligat, esse queat.
H is te oculis cõtemplari tria lustra negatum est,
Vidisse ast mihi te cottidie videor.
D octrinæ nec enim ista tuæ & virtutis imago
Ex animo passa est te obsoluisse meo.
Qui puero infixus Phœbi ἀργυρέοιο βιοῖο,
Et cum annis & cum corpore creuit amor.

Ad dominum Petrum Lisetum primum

præsidem æquissimum.
Gallia poscebat plures te absente senatus,
Te præsente vnum plus satis esse putat.
Qui tot decidas iuste ac ex tempore lites,
Quot iam humana nequit fingere calliditas.

Ad domimum Guil. Payetum advocatum Regium.

Quid Cicero, quid iam petitur Demosthenes orbi?
Payetus eloquio præstat vtrunq; suo.

Gnomæ monostichi auium.

Pica.

Loqui mihi prõptum est, tacere vix queo.

Ardea.

Tacere cogor, quæ minus sciam loqui.

Coruus.

Nec ego tacere, nec loqui possum satis.

Psitacus.

Cui ratio desit, sermo si desit, bene est.

Aquila.

Sic lingua corpus, clauus vt nauim regit.

Grus.

Quiduis magis, q̃ lingua, freno ducitur.

Ad Castillonum Imperatorem.

Surge, te rauco ære tuba imperator
Exciet, totam nec enim decorum
Est duci noctem requie ac inerti
Dedere somno.
Ecce iam lux alma retexit axem,

Ecce equus spumãtia frena mãdit,
Ecce promissi reus euocaris:
Hoc modo præsta.

Ad Claudium Marronem.

Claudi Marro puer modeste, & apte,
Quo natus genio es, mihi Maronem
Illum posse aliquando præuideris
Si non vincere, vel præire, certe
Haud longo spatio sequi, assequiq;,
Si non ipse tibi velis deesse.
Sortem amplam, ingenium, ingeniq; nactus
Cultorem, idq; Lutetiæ, peritum.
Ergo macte animi, impigerq; tende,
Quo te fata vocant, viamq; monstrant,
Quum certissima præmia, atq; honores
Aeternum maneant breuem laborem,
Fac ne te monuisse Marro dicar
Frustra, & tu monitus, vale, ac ama me.

De Virtute.

Algebat quõdam, sed laudabatur: at alget
Nunc, nec laudatur vel leuiter probitas.

De germano scholastico.

Florẽtiam germanus olim venerat,
Ad ingeni cultum: & qui eũ duxit, pater,
Magistro alendum tradidit parcissimo,
Qui nil nisi herbas porrigebat esui,
Ac si esset huic conuiua bos accersitus:
Hoc pertulit germanus aliquot ad dies,

Nec ferre longum potuit, assuetus suis
Mensis:rediuit ad patrē tādē:hūc pater,
Suo q̄ iniussu redisset, grauissime
Obiurgat:audi audi,iquit,& parces pater:
Veritus fui ne me esse fœnum cogeret
Preceptor,herbas si hyeme nō offenderet.

De seipso.

Iā nec opes,nec honos quicq̄ in me iuris habebūt,
Si fiam, fiam seruus amore dei.

Ad Eustath. Aubertum.

Pone metū lethi,moriēdum est:maxima crux est
Si semper metuas,quod nequeas fugere.

Epitaphium Antonij Sireti theologi

Siretus iacet hic, quo nō præstantior alter
In Franciscana relligione fuit.
Ecquis eo grauiꝰ docuit, quis cōtulit vnq̄
Verba ad rē melius?sed tamē ecce iacet.
Certe exangue iacet corpus, verum ardua magni
Ipse quidem cœli spiritus astra tenet.
Nascimur vt stato moriamur tempore, verum
Mors diuersa,bonis fausta,sinistra malis.

In Marcum.

Fac vt salutes & loquaris blandius:
Paruo ista cōstāt,Marce,prestāt nō parū.

De otioso sermone.

Sermo dicitur otiosus omnis,
Qui non exprimit aut necessitatem
Eius,qui loquitur,facitq; verba,

Aut non instruit, excolitque mores,
Aut quo haud votaque gratiaeque summo
Soluantur supera astra temperanti.

Ad Deum Optimum Maximum.

Heu criminum vltrices truces
Imago mortis plurima,
Et pestis & tristis fames
(Quae vindicante te efferunt,
Parcente item condunt caput)
Late perurunt omnia.
Et nos genus durum & ferum,
Nec erudimur tot malis,
Vt te tremamus vnicum:
Nec prouocamur tot bonis,
Vt te colamus vnicum.
At tu pius, parce impijs:
Nec pessimos sperne optimus.

Ad mentem.

Quid sponte mens non prodigis,
Secura magni foenoris,
Quod cum tuo magno malo
Tandem coacta deseres?
Caelum quidem est sublimius,
Quàm quò haec vehantur terrea.

Ad Lolium.

Saepe me Loli acriter arguisti,
Quòd bonas horas male collocarẽ,
Dum pias vatum minus ociosus

Æmulor arteis.
Interim arcanis ais auocari
Me: tace posthac precor, & putato
Et deū has curare, & amare, & esse
Ab Ioue Musas.
Sunt pij vates, scelerisq; puri:
Nec puto iam vatibus inserendos,
Qui suo frangunt, hominum eneruātq;
Carmine mentes.

Ad Iacobum Tusanum.

Tusane, tu sane, vt cupis tu, sanus es,
Et mente sanior quidem quàm corpore.
Vtrunq; quod sit, imputandum est literis
Quas improbo labore nil q̃ amplexus es.

Ode ad D. Claudium.

Huc huc pij omnes, pes pedi,
Vir hæreat densus viro,
Solennis hac honor die
Diuo feratur Claudio.
Hinc hinc prophani sint procul
Sint, dico, qui nec in suis
Sanctis deum, nec ob deum
Sanctos honorandos putant.
Si tanta mersis corpore
Benignus indulsit deus,
Quid liberos affectibus
His, posse suspicabimur?
Adsitis ergo seduli

Votis vocemus Claudium
Cœli tenentem sydera,
Quò nos sua iuuet prece.
Vt qui supersunt, corporis
Mentisq; compotes sient.
Qui desierunt, criminum
Pœna eximantur omnium.
Præstare quod solus potest,
Qui regnat æternum deus,
Cum filio, cum spiritu,
Cui sola soli gloria.

In Medicum.

Hortabar medicum foras iturum,
Vt ferret, lateriq; commodaret
Ensem: nil opus est mihi, inquit, ensis,
Qui tot vel calamo queam necare.

Ad Ponticum.

Q; te olim nequā & improbū vocarim;
In ius, Pontice, me paras vocare.
Parce his obsecro, te bonum fatebor,
Nunc, at me nimium fuisse falsum.

In Curionem.

Multum Curio parcus est honoris.
Quid mirum? haud minimo emit ipse honorem

In Lurconem.

Lurco in febre siti medico sedare volēti
Tolle, inquit, febrē, nosco leuare sitim.

Ad D. Erasmum.

E raſme vere ἐράσμιε
H uiuſce lumen ſeculi,
S ed & futuri, quem vnicum
I uſte queam prioribus
C onferre, ſi non præferam,
Sa lue o Eraſme, quo duce
ὃυ δεῖν ἀοιδίων ὁδοί,
Quod vel fatentur inuidi.
Quis non aperte intelligit
L ux quanta per te acceſſerit
B onis ſacriſq; litteris?
L icet, fatebor candide
Quod audij, ſint plurimi,
Qui non tibi certiſſimam
Sacri libenter eloqui
P eritiam conceſſerint.
Quorum impudens mendacium
T ot hactenus voluminum
A bs te editorum copia
S atis refellit, ac ſuper.
Quæ ſi quis apte legerit,
Qui fiat vt qui ſcripſerit,
N on doctus eſſe non poteſt?
Quid cultius paraphraſi?
Quid adnotationibus
V ſquàm adnotandum ſit magis?
T ranſlatione deniq;
Quidnam tua fidelius?

Dum ſumma ſectaris, nihil
Porro relinquis infimũ,
Sed arte quod ſummum facis,
Sic certe vtrunq; temperas,
Addas vt ornatum infimis,
Summiſq; lumen adferas.
Sic quippe perplexa explicas,
Vt profuturum μήκετι
Σκότος σκοτῷ πὰρ δηλόις.
Sed forte Eraſme ſi roges
Quis ſim, vnde, quóue nomine
Nũc te aggredi auſim, dum obſtrepo
Audaciorq; his nænijs
Commune pecco in commodum,
Dum te his legendis interim
Tuo à negotio auoco,
Et functione, quam bonis
In excolendis artibus
Vltro tibi deſumpſeris.
Non te morabor, accipe
Paucis, at id genus pedis
Menſura tam breuis vetat,
Et proprio nunc nomine,
Et patrio cognomine
Notum tibi me reddere,
Quibus nec eſſem notior,
Veruntamen circunloquar,
Ne neſcias, Monaſtici

D icor magister gymnasi,
P rior bonis a nuncijs
T empli, quod est Aureliæ,
B eraldo amicus, Brixio,
S ed & Budæo non parum
D ilectus, vt iam suspicor,
B onas sequutus litteras,
A n assequutus nescio,
V erum virorum maximus
M irator excellentium,
T uiq; Erasme æqualiū,
S i qui modo æquales sient,
Q uem ætatis huius principem
E xistimo, amplector, colo,
T ibiq; nomen do, & tua
I n verba sanctè deiero,
P erenniter stipendia
F acturus in castris tuis,
S eu me velis gregarium,
S eu me velis rorarium,
N ec vllum abhorrebo locum,
Q uem tu mihi delegeris,
M ihi vt decorum plus satis:

Ad Franciscum Brunium.

F rancisce, gnauiter stude,
E t otiorum desine
V im mentis haurientium.
F rancisce, si secus facis,

T e sera pœnitentia
L ongo manebit tempore:
N unc cum potes, fac, vt velis,
N e cū voles olim, haud queas.
F ugit iuuentas, irruit
S enectus haud sat cognita,
A etas breuis, longus labor.
A etas labore extenditur.
V ixisse diceris diu,
L abore si longo breue
P rodideris æuum prouidus
Quæ vere flores non comat,
A estate fructus non dabit
A rbor. Iuuentus non male
V eri, vt puto, committitur,
A estas senectuti. Puer
Qui dum puer, non floreat,
V ix afferet fructum senex.
E rgo veternum hoc excute,
E t te labori, quàm otio,
V trinq; enim consumimur,
D edas magis: corpus simul
T uum esse ferri instar puta.
H oc nempe si tu exerceas,
L ongæuus vsus atteret
T andem: at minus si exerceas,
R ubigo turpis exedet.
E st turpius rubigine

F rancisce, quàm vsuconteri.
P aruo in labore est gratia
N on parua, nec minus decus.
A mara stirps scientiæ,
Fructus quidem gratissimus.
Qui fundat arcem, dum iacit,
L ocatq; fundamenta, non
V llam voluptatem capit
Quousq; tota creuerit,
E t surgat in molem domus.
S ic qui sequetur litteras,
I n collocandis basibus
P arum ipse delectabitur,
Quin, non carebit tædio:
A t deinde quum promouerit,
P lenisq; gustarit labris
Quàm suauis est scientia,
M irabiturq; non suo
S ensu adiuuarier suum:
N ulla hūc voluptas traxerit,
N ulli hunc honores aut opes
H uius ab amore auulserint,
I llam anteponet omnibus
(Hæc quippe mētis pabulū est)
Quæ mundus alte suspicit,
H uic vita deuouebitur,
Quæ pol laborem decipit,
N ecnon medullas vi sua

Vel integris est ossibus.
Quæ sola digna quæ sui
Amore captiuos trahat.
Francisce, nunc ergo vide,
Ne tempus elabi sinas,
Quod deinde non redemeris.
Sis parcus huius, cuius est
Honesta tantum parcitas.

De Venere Regi Franc. data.

Qui Latię hoc Veneris simulacrum viderit, artẽ
Viderit insignem dantis, & artificis.
Hic sic duxit opus, visum vt deludat imago,
Luditq́, hęc qui amplo in munere habenda velit.
Ecquid habet munus tali te principe dignum?
Quid tibi cum pomo? quid tibi cum Venere?
Carpat poma puer, Venus inspectetur ab illis,
Pulchra quibus coniux Allienora deest.

Ad sodalem

Quicũq; seruis crimini,
Es ipse seruus criminis,
Sed & tuorum maximè:
Qui scelera cum norunt tua,
Non liberari se modo,
Verum & timeri gestiunt.
Sis liber, & iugũ excute
Hoc seruitutis tam graue:
Te vni velis seruum deo,
Cui qui subest, late præest.

In Lucium.

Me nimium facilem Luci, seu oratio prosa
A me, seu carmen scribitur, esse putas.
Me facilé esse velim: nec egens interprete sermo
Labe, vt perspicuus laude, carere potest.
Nil equidem scribo, ne non intelligar, istud
Vi mentis fieri deficiente reor.
Nec tenuis labor est, tenuis nec gloria, rebus
Obscuris splendorem, implicitisq; dare.
Nolim obscura mihi obtingãt, tibi vt omnia, Luci,
Obscurum exemplo nec iuuat esse tuo.

Epitaphium Io. Morini.

Si fortasse petis viator, isto
Quisnam conditur, & iacet sepulchro,
Paucis expediam. Morinus ipse est,
Quo vno nomine, scito comprehendi
Vrtutis genus omne sanctioris,
Et verum hoc tibi suade, & i viator.

De iurgio furis & adulteræ.

Fur vir erat, cui pulchra vxor, sed adultera: neu-
Sic furti immunem dicere se poterat, (ter
Quippe Hermes furto, furto quoq; Cypria gaudet,
Dulce est authores fraudis habere deos.
Vir porro patri quondam corraserat aurum,
Et deprensa frequens vxor adulterij.
At neuter sceleris, sua quæ est natura, vicissim

Alterius facinus dissimulare potest.
Dissidium inter eos vt sensit Cypria, currit,
Artibus has iras compositura suis.
Dic, ait vxori, quo accusor, matris id actum est
Consilio, nec ob id res tua facta minor.
Hæc tibi me iunxit primo, hinc licuisse secundo
Sum rata, fœmineæ est simplicitatis opus.
Te vero bone vir, quæ culpa remordeat vlla?
Qui non furatus, fretus es ante diem?

De animi imperio.

O quicunque tuæ fortis dominabere menti,
Imperium magnum, nec pete maius, habes.

Ad Petrum Sanxonum.

Vixit satis, quisquis satis nouit, nihil
Hanc esse vitá, quàm molestá miseriam.

Ad senes superstitiosos & auaros.

Qui comparatum est nescio, vt quibus viæ
Minus superfit, plus petatis viatici:
Quibusque non promittit ætas tam grauis
Longa spatia, obseruetis attente dies:
Ni quod senectuti sua est infantia.

Ad Diuum Martinum.

Martine summo Pannonum
E xorte regum sanguine,
Virtute qui multa genus
Primosque vitæ masculis

T ransgressus annos moribus,
E n nunc tuis imponitur
A ris honos. Tu sedulus
V eni, & laborem istum leues,
E t placidus adiuues pium.
V eni, en tuus supplex tuo
T emplo sacerdos te meis
V otis, quibus possum, voco:
T e, in quo prophetæ spiritus,
A postoliqꝫ gratia,
N ecnon voluntas martyris,
E t virginalis castitas,
E t quicquid innocentiæ
V squam fuisse creditur:
Cui tam dei benignitas
E xplicuit omnem se magis?
C ui militauit aeris
O mnisqꝫ rerum machina,
F aces ministrans igneas,
Queis fana dæmonũ vreret.
F urentibus sæpe obstitit
V entis: parantem fulmina.
F lexit deum supplex prece, &
I amiam exitura spicula
E xtorsit irati è manu:
C ontrà, quasi hic mundi arbiter,
I n quos lubet, iacta aspicis:

Et vt iuuat, sic si irites,
Certe vltor est acerrimus:
Cui & audierunt alites,
Et paruerunt cum suis
Amnes remissi piscibus.
Exemit ille & asperis
Virus malum serpentibus.
Truces cicurauit feras,
Et vocis vsum elinguibus,
Surdisq; munus aurium
Fauore cœli præstitit.
Num morte functos excijt,
Tribusq; vitam reddidit,
Raptis ab Orci faucibus?
Quis ergo nobis cœlitum
Isto colendus est magis?
Sed ligna quid porto in nemus?
Pro dignitate dum tibi
Asserere nitor gloriam,
Dictisq; famam extendere,
Q; vastum arandũ æquor, tua
Quisquis leget vestigia:
Sed adnatabo littori,
Nec longius vela faciam:
Deinde copiosius
Paratus, vt fas est quidem,
Sentire de te, quàm loqui.

Epitaphium domini Boyherij
Northmaniæ quæstoris.

S iste pedem, humanæ quoque contemplare viator
Naturæ legem, iudiciumque graue.
N unc iacet hac tectus modica Boyherius vrna,
Northmanæ questor maximus antè plagæ
Cui tanta omne genus fuit experientia rerum,
Quantam non vlli pene fuisse rear.
S eu priuata domus, seu publica munia cernas,
Nil dignum cura hunc præterijsse putes.
S ic noto bellum rex formidabile mandat,
Dum regna Insubrum debita iure petit:
Qui dum ibi sollicite, supraque hominẽ omnia curat,
Amisit curam corporis, & cecidit.
S i tam auide Christi, quam regis iussa peregit,
(Quod puto) multa modo præmia dignus habet.

Epitaphium Ludouici Rusæi.

S i, quæ te condit Ludouice Rusæe, deinde
Sementem certo fœnore reddat humus,
Quid nisi virtutes pariet? quarum omnia tecum
I stoc in tumulo semina iacta tenet.

Ad Vensæum pictorem.

T rimestri fueras econem fingere pactus,
Quam sex post annos vix mihi reddideris.
T e segnem interea Vansæe, pigrumque vocabam,
Et peius, quod iam non retulisse velim.
N am, quam misisti mihi, dum spectatur imago,

Vix opus annorum credo fuisse decem.

Ad Petrum.

I am non Petre animo mihi videris
S anus, nec, puto, sanior fuisti
V nquam. dij, rogo, Petre sanitatē
(Ne non me tibi nunc putes amicum)
S eruent corporis, adferantq; mentis.

De sophista.

N uper venerat huc sophista quidam,
N ostro non stupidus, suo peritus
M ultum iudicio, profecto acutus.
Hic me inuisit auunculo iubente,
Quo cum meridiabar: vt sederet
N obiscum, ægre ab auunculo impetraui.
Nonnullum hic igitur suæ eruditionis
F acturus specimē, tacente vtroq;
N ostrum, phasmata mille congerebat,
S oritas totidem, id genusq; tricas:
Quarum vnam reminiscor ipse tantum.
O, inquit, domini, libet ne mecum
Quid deponere, quòd palam probabo
E sse ibi pyra quinq;, cum tria extent
S olum? feceris, inquio, stupendam
R em, verum mihi, auunculoq; gratam,
S i nos arte tua auxeris duobus.
N onne, inquit, tria sunt? ita. an tribus nō
I nsunt & duo? & hoc fatemur. ergo
Tria hæc, & duo, quinq; sunt. probamus.

Sed nos hæc tria, tu duo comesto,
Probatoq; tibi tuum axioma.

Dialogus heri & serui esurientis.

Multis rogabat seruum herus famelicum,
Vt colloquendo hunc a cibis auerteret,
Et penè deuorantis falleret famem.
Sed, quæ gulæ est sua ars, dolū elusit dolo,
Vt verba verbis subdole rependeret,
Daretq; responsum, simulq; pasceret.
Herus rogauit, quicquid in mentē irruit.
Quidnam peregre, ait, noui visum est tibi?
Nix, seruus inquit. sed nil præter niuem?
Mus. nū obiter inuisisti agrū? sic. quid deest?
Seps. quid tibi die hac visum pulcherrimū?
Sol. quid tibi daretur hic præpostere?
Ius. dormiēdo quis tibi par? glis. domo hac
Quid te frequenter arcuit? vis. quid iacet?
Pax. quid furit? mars. quid silet? lex. his modis
Sat fecit, vt ne dentis ictum perderet.

In latrones.

Fures erant duo, &, vt dici solet,
Inuenerat suum Attabas Numænium.
His tertium sese facit Limax trifur:
Atq; is vbi medio constitit ridens loco,
Nunc, inquit, hic mihi, quod & Christo obtigit,
Duo latrones vt mihi cingant latus.
Imo, inquit alter furum, id obuenit tibi

Nunc, quod nec vsq̃ cótigit Christo, vtpote
Qui te æquiores hic duos offenderis.

Ad Ruffum.

Sic viuas, quasi sis hodie moriturus, & idem
Sic morere vt vitæ spe melioris eas.

Ad Ioannem Mayum auunculum.

Vnice post multos, mihi quem fortuna reliquit,
Solamen rebus præsidiumq; meis.
Sex etenim nobisq;, tibiq; immitis ademit
Mors fratres, vnum te superesse dedit.
De tot Ioannes ergo mihi sole superstes,
Tot viuas quot non illa Sibylla, dies.
Ito quibus cœpisti auibus, solare relictos,
Defendas omneis, qua potes arte tuos.
Vnus enim es qui iura scias, vt machina nullũ
Qui magis hæc eadem qui tueatur, alat.

Ad Ludouicum Rusæum iuridicum
Parisiensem æquissimum.

Nil serum, Lodoice, Varro dixit
Opportunum itidem quod esset. ecquid
Opportunius his tibi diebus,
Id sero licet, exhibere possem,
Quàm cœlestis opus sacrum prophetæ?
Dum natalis adest dies Iesu,
Quo debent tria verba subsileri,
Et tibi licet a foro vacare,

Quo demum apophoreta deferuntur.
Si solum aspicias libri vmbilicos,
Et solam pretij æstimationem,
Indignum, scio, munus est vtroq;,
Qui maius mereas, & ipse maius
Possim pandere, debeamq;: verum
Si spectas quàm habeat datũ honorũ,
Hoc cœlestis opus sacrum prophetæ,
Dignum certe erit hoc vtroq; munus,
Nec maius cupies, nec ipse maius
Possum pandere, debeoq;: non tot,
Reor, Topasius lapis, rotansq;
Pauo vel Samius comante cauda
Ad solis iubar explicat colores,
Nec tot manna gulæ attulit sapores,
Quot psaltes facit, omnibus sat vnus.
Seu cœlestia postulas, olympo
Hunc iures cecidisse. seu caduca hæc
Et terrestria, condidisse credas:
Sic res subijcit, exprimitq; causas,
Hunc ergo Lodoice habeto gratum,
Non tam ob Dauida, q̃ quòd est fidele
Tui μνημόσ υνον sodalis: erro
Scribere hic volui, tu, clientis,
Qui te semper habere vult patronum.

Epitaphium Ro. & Ponchetij
quæstoris

fv

Illustris titulis patrum, suisq;
Decus fœminei Roberta sexus
Terras liquerat, ineratq; cœlum.
Quæ dum Poncheriam reliquit, ille
Viuendi quoq; spem simul reliquit.
Nō nati huic, nec opes tot, aut honores
Charæ coniugis intulere lethen,
Verum turturis instar ingemebat
Semper, nec prius ille conquieuit,
Quàm cum illa requiesceret sepultus.
His olim vt thalamus duobus vnus,
Sic & nunc tumulus duobus vnus.

Ad Ioannem Salignacum.

Vt vitium, sic nec virtus referenda tuorum
Vlla tibi, sibi stat quisq;, caditq; sibi.

Epitaphium R. Ioannis Bineti.

Tectus Ioannes iacet hac sub mole Binetus,
Et sibi, & huic domui mortuus ante diem.
Nam non, quod dederat tempus natura, peregit,
Dum falli, vt pisces, nescijt ore viros.

Epitaphium D. Francisci Deloini.

Heus heus, quid modo preteris viator
Quod nescisse diu tibi dolebit?
Sta, & paulum exequiare Deloino.
Quod si forte hominem videre viuum,

Atq; audire dei tibi negarunt,
Hac es parte tamẽ nimis beatus,
Functi cernere quòd sinant sepulchrũ
Pulchrum, pulchrius ossibus sepulti,
Quàm tot artificum manu futurum.
Adesdum, & tuere omne diligenter.
Vides hũc lapidem, & putas pusillum?
Erras, hunc enim oportet esse magnũ,
Qui centum tegat & premat senatus
Si non corpora, at ædepol tor, ora.
Sed iam, si lubet, hinc abi viator:
Facturus siquidẽ moram es perennẽ,
Si quicquid de hominis potest honore
Dici, audire amor est: abi & precare
Non huic, qui meritis polo est receptus,
Sed tibi hunc imitari vt inde detur:
Pro summo id tibi debet esse voto.

Epitaphium Annæ Oleariæ.

Ecce Anna est Olearia hic sepulta.
Prò crudelia fata, dijq; sæui.
Nunquid vita erat ampliore digna?
Cui talem indiderat Venus figuram,
Qualem vix Helenes putem fuisse:
Et Pallas sapientiam, & pudicam
Mentem, munera rara fœminarum.
Quibus, dixero pace cæterarum,
Cunctas indicio meo anteibat.

I nuidere tamen feræ huic sorores,
E t filiũ secuere,& ante tempus,
V erum non sine magna olinitate
E cce Anna est Olearia hinc recepta.

De paupere & episcopo.

P auper pro foribus iacebat ædis,
Quam subibat episcopus frequẽti
S tipatus famulantium corona.
H unc pauper rogat,vt stipẽ erogaret.
N il motus precibus pijs sacerdos
S preto paupere preteribat.heus tu,
I nquit pauper,episcopale saltem
S ignaclum mihi ne neges precãti.
T unc conuersus episcopus,iacentem
L ustrauit benedictione,vt aiunt,
C ui pauper, minime quidem dedisses
H anc, si tu vnius assis æstimasses.
C umq́ a pluribus esset increpatus,
Quòd & sic loqueretur,& caput non
R etexisset,ait,bona,efficaxq́
H æc si sit benedictio,galerum,
O bijces quoq́ permeabit omnes.

De pictore Columba.

C olumba pictor nobilis
R ogatus est a quopiam,
V t trinitatis pingeret

I maginem: volo hercule,
I nquit, mihi si tu prius
Qualis sit ipsa, dixeris,
E iusq; spectrum expresseris,
O stenderisve ecunculam.

Ad Isaacum.

E s puer, haud malus es: ætas, non plurima vibex
Flectere te coget hoc prius ingenium.

Ad eundem.

I ngenium prius hoc coget te flectere vibex
Plurima, non ætas: es malus, haud puer es.

In quendam gloriosum.

A ptus insidijs quidem es struendis,
Qui te non retegas libenter vnquam.

In ebrium.

L ucernam puer aufer a Matulla,
E t cui nūc noceāt faces, & ignes,
E t cui lumina dēt faces & ignes,
Lucernam puer aufer a Matulla.

In Proclum cantorem.

P roclus canebat, & rogabat, num bene
D ixi, haud inepte si velis, canes. at is

Mulierem fortem quis inueniet?
V ritur interius cæco magis acriter igne
Virgo, vbi quod nescit, dulci⁹ omne putat
N ec credit se posse vllo insatiabilis vxor,
Quàm cui iuncta, viro frigidiore frui.
D efuncti cura, desiderioq; mariti
Semper ad assuetas ingemit orba faces.
H is factũ vt mulier tot iã labẽtib⁹ annis
Aut nulla, aut raro fortis habẽda fuit

Vita ecclesiastica.

N il instituto suauius vitæ meo
P uto esse, quæ procul negotijs mihi
V iuo, imò viuit in memet deus.
S um certa præmij, scio cui fœneror.

Ciuilis.

E cquid potest excogitari dulcius
F ingive, q̃ quod obtigit mihi? omnibus
H onoribus fungor, lucror, negotior,
Quiesco, dum licet: licetq;, quum libet.

Rustica.

L audare quisq; suum solet plus, q̃ decet.
A t ipsa non satis meum pro copia
N umerare possum, cui tot armẽta, horrea
R eferta, pleniq; optimo vino lacus.

Momus.

B ona hic sua omnes efferũt, tacent mala.
I lli otium est molestius negotio,

T ibi oſſa liuor, miles iſti eſt omnia.
E xpers in orbe nullus eſt moleſtiæ.

In Agriam theologam.

D iſſerre & vetus & nouum aſſerenti
T eſtamentũ Agriæ,& quidẽ proterue,
I lluſit Vigius ſatis facete:
V erum,inquit,memorare viſa es,illo
C erte ſeptem homo coniuges habebat,
H audquaq̃ mihi adhuc repertꝰ vllus,
Q ui non plus nimio eſſe credat vnam.

In duos iuuenes Renatum Mareſchalum & Petrũ Mottã.

L udis Petre,vbi ludit & Renatus:
S ed ludis Petre, dum ſtudet Renatus.
I am te ludere nolo, quum ſtudẽdũ eſt:
N ec quũ ludere opus,velim ſtudere.
Nanq; hebet,niſi ſit viciſſitudo
O tijq; negotijq;,virtus.

Ad fratrẽ Renatum Mareſchalum.

C orpus Renate terreum eſt,
E t par veredo præpeti,
Q ui frena nondum mandidit.
Q ui,quo fouetur lenius,

Et hunc frequenter excutit,
Stratumque calcibus ferit:
Sic corpus hercules facit,
Nec contineri sat potest,
Si vel parum huic indulgeas.
Nec subtrahenda sunt tamen
Illi necessa pabula.
Nempe vt carere his nō potest,
Sic certe abundanter data,
Multam inferunt molestiam.
Ergo doma ieiunijs,
Sed temperatis, vt nimis
Nec culta, nec spreta hæc caro
Tandem tibi subseruiat,
Clauum tene, nec iam sine
Te degubernaclo excuti:
Quod forte si tu deseris,
Et cedis, & rapi sinis,
Mirabili tanti maris
Elatione, te simul
Periclitaturum puta.
Portum salutis hac sine,
Portum salutis hac duce
Nunquam potes contingere.
Ergo regenda, non quidem
Sequenda fallax belua,
Vorax, proterna, prodiga,
Efflagitatrix improba,

Quæ plus petit, quàm competit.
Nil est quod æque corporis
Mentisq; vires opprimat,
Quàm mollis educatio.

Excriminatio theologiæ.

Theologia suo nitida, & contenta colore est,
Atq; istud pulchre virginis instar habet.
Non adipis, nec itẽ cutis vlla hanc cura moratur,
Cui mage cum neruis ossa retecta placent.
Nuda quidem, ac semper simplex oratio veri est,
Velamen nec, se quo tueatur, amat.
Delectare negat, vitium cui est ipsa voluptas:
Hic satis amplum operæ, si capitur, pretium est.
Verbis authores, non verba authoribus ipsam
Dant legem, rebus verba subesse decet.
Mutantur mores, mutantur tempora, quænam
Sermonis statio firmior esse potest?
Nec Cicero veterum ductus ratione loquendi,
Eloquio ætatis detulit ipse suæ.
Q̃ dispar dum orat, dum philosophatur, habetur:
Vt nunquam credas vnius esse phrasim.
Verba habet orator, sua quæ neget esset poëta,
Huius item orator, plurima, vt arcta, fugit.

Stultitia hęc nostra est, ut quod miramur in illis,
Illud idem in nobis ducimus esse nefas.
Ornatum semper schola Stoica fugit inanem,
Non nixa eloquij, sed rationis ope.
A sacris procul hæ veneres, cui publica forma est,
Vt nūmus, mihi sic sermo placere solet.
Dicendi certissima consuetudo magistra est,
Verbaq; sunt medio plurima tracta foro.
Ipsius haud ulla est ratio sermonis habenda
Hic, ubi sit precibus sollicitanda fides,
Cuiq; suam melius tribuunt dialecton Achæi,
Altera nec damnat lingua, quod una probat.
Rhetoribus suus esto modus, suus esto poëtis,
Ecquis theologis non ferat esse suum?

Libri II Epigrammatum finis.

